PHILOSOPHICA
DE PESTILENTIA
PROBLEMATA

QVIBVS EIVSDEM SIGNA, CAVSAE, effectus, duratio, desitio, symptomata, remedia spiritualia, caracteristica, naturalia proponuntur, & examinantur.

ADIECTIS ETIAM THVCYDIDIS GRÆCI Scriptoris de Peste Atheniensi, Procopij, & Euagrij de simili morbo historijs.

AVCTORE PHILIBERTO MARCHINO
Nouariensi Clerico Regulari Barnabita Congregationis Diui Pauli, Philosophiæ, ac Theologiæ olim in Ticinensi Academia professore.



FLORENTIAE,
Ex Typographia Sermartelliana. M.DC.XXXIII.
Superiorum permissu.



LECTORI BENEVOLO.



RS medica, si de theorica sit sermo, Philosophiæ studium est. Quamuis enim à tribus vulgaribus Philosophiæ partibus formali obiecto discriminetur, tamen in obiecto materiali, quod est corpus naturale, cum Physica conuenit; vtraq; in Naturæ speculatione tota consistit, vtraque ab effectibus naturalibus ad causas indagandas consurgit, talemq; seruant inter se cognitionem, et affinitatem, vt idem nomen sit vtrisq; commune: quare Medici Physici quoque vsitato nomine nuncupantur. Mirum ergo alicui esse non debet, si ego vir religiosus Apollinis & Aesculapij gymnasia ingressus, nonnullas quæstiones, ad Medicam autem præcipuè spectantes ausus sim hic pertractare. Nam neq; munus istud ab instituto regulari alienum est, cui sola medica praxis ob incurrendæ irregularitatis periculum interdicitur, neq; ego vt Medicus, sed vt Philosophus eloquar. Quare quæ hic proponuntur a nobis de peste problemata, in sola speculatione vt plurimum consistunt. Reliqua quæ de pestilentialis morbi natura curationeq; hic desiderari possent, ex ipsis medicinæ fontibus, & innumera scribentium multitudine petenda sunt. Si quæ verò nos etiam obiter trademus, ex vberrimis eiusdem artis promptuarijs partim depromemus, partim ex historiarum monumentis, & vsu in hac Florentia Vrbe per trienium in Nosocomijs seruato didicimus. Optanti ergo mihi publicæ deseruire vtilitati, non est, cur nota aliqua ponendi falcem in alienam messem inuratur. Vale.




THVCYDIDIS GRAECI SCRIPTORIS Hiſtorici, Philoſophi, ac Medici de Peſte Athenienſium ex libro ſecundo de bello Peloponenſi narratio.



OT ferè prodiere de varijs Peſtis infortunijs hiſtoricæ narrationes, quot Regiones, Prouinciæ, vel Vrbes hoc teterrimo morbo diuerſis temporibus afflictæ fuerunt. Scripſit de peſte Græcorum ſuas epidemicas hiſtorias Hippocrates, de peſte Romanorum ſuas Galenus, de eadem ſæpe Titus Liuius, nec non Dyoniſius Halicarnaſſeus lib. 4. hiſtor. Romanarum, de Conſtantinopolitana Procopius, de Italica Sigonius, de Panormitana Philippus Ingraſſias materna lingua, de Drapanenſi Petrus Pariſius, de Florentina, & alijs Boccatius, Matthęus Villanus materna lingua, de Rauennenſi Hieronymus Rubeus illuſtris Medicus, de Mantuana Suſius, de Mediolanenſi, & Veneta Natalis de Comitibus, Carolus à Baſilica Petri, de Lugdunenſi nuper Ioannes Grillotius Societatis Ieſu, & alij quam plures. Verum Thucydidis de peſte Athenienſium hiſtoria acerbitate, antiquitate, breuitate, ſermonis elegantia, ac pondere ſententiarum, Philoſophicis item ac Medicis documentis longè ſuperat omnes. Huius ſæpiſſime meminere tum prima Medicę artis lumina, Hippocrates eiuſdem Thucididis contemporaneus, & Galenus, tum hiſtorici ferè omnes, dum ſuas deplorarunt calamitates, adeout de Thucydidis fonte biberint, quotquot de Epidemico morbo ſcriptis aliquid ſcitu dignum tradiderint. Quapropter acturus de quibuſdam Peſtis quæſtionibus hiſtoriam Thucydidis, veluti dicendorum omnium ſolidum fundamentum pręmittendum cogitaui, ex qua non modo caſus inopinatos admirandoſq; rerum euentus, ſed etiam Peſtis Symptomata omnia ſiue incommoda, & mala vi interni veneni in humano corpore procreata, plureſq; diuerſarum, & arduarum quæſtionum ſolutiones depromemus.

IN-



INCIPIT NARRATIO THVCYDIANA.



Estate statim ineunte, Pelepponenses, & socij ex duabus partibus, quemadmodum & ab initio impressionem fecerunt in Atticam regionem; (Dux verò erat Archidamus Zeuxidami filius Lacademoniorum Rex) atque castris positis depopulabantur regionem, & cum commorati non multos essent dies in Attica, morbus primùm apud Athenienses cœpit exoriri, qui dicebatur, & antea multis in locis ingruisse, & circa Lemum, & in alijs quoq; regionibus. Non tamen tanta pestilentia neq; corruptela, stragesque tanta hominum vsq; memoratur extitisse: neq; enim Medici ab initio adhibenda pares erant Medicina ob ignorationem sed ipsi præcipuè moriebantur, vt qui præcipuè ægros adibant neq; vlla alia humana ars & quæcunque in templis precationes vsurpabantur vel diuinationes, & huiusmodi alia adhibebantur, omnia erant inutilia, & ab ipso vsu demum recesserunt a malo superati. Incœpit autem primum, vt fertur, ab AEthiopia quæ est super AEgyptum: deinde in AEgyptū Libyamq; descendit, & in Regis regionem plurimam: in Atheniensem porro Vrbem de repente incidit. Et primum in Pyreo affecit homines contagione. Quare iactatum quoque ab illis est, quod etiam Pelopponenses venena coniecissent in puteos. Fontes enim nondum ibi erant extructi; mox verò, & in Superiorem partem peruenit, & moriebantur iam multo magis, ac frequentius Dicat igitur de hoc vt quisque sensit, nouitque & Medicus, & idiota a quo verisimile sit illud exitisse, & causas, quas tantæ permutationi putat idoneas vim habuisse ad rerum Orbem conuertendum. Ego autem cuiusmodi fuerit explicabo, & ea, qua contemplans quis, si fortè fortuna rursus incidat, præcipuè aliquid prænoscens non possit omnino ignorare, declarabo, cum & ipse morbo fuerim correptus, & conspexerim alios patientes. Annus enim ille (vt vniuersa hominum confessione constabat) ex omnibus maxime fuit immunis ab alijs morbis. Si verò quis etiam ante aliquo laborabat, in hunc omnia conuertebantur. Alij ex nulla euidenti causa, sed subito cum sani forent, primum quidem capitis ardores vehementes, & oculorum rubores, ac inflammatio corripiebat, &

interiora

interiora guttur inquam, & lingua repente sanguinolenta erant, & spiritum tetrum, & graueolentem emittebant. Deinde ex his sternutatio, & raucitas accedebant. Et in non multo tempore descendebat in pectus dolor cum thussi vehementi. & cum in corde haeserat, subuertebatq; ipsum, & excretiones bilis omnes, quotquot a Medicis nominatae sunt, sequebantur, & ipsa cum cruciatu insigni: singultusq; plerisq; multis incidebat inanis, conuulsionem excitans vehementem, aliquibus quidem statim cessantem, nonnullis verò multo serius. Et corpus quidem exterius attingenti non admodum calidum erat, neq; pallidum, sed subrubrum, liuidum pustulis exiguis, & vlcusculis efflorescens: interiora verò ita flagrabant, vt neq; tenuissimorum vestimentorum aut linteorum iniectiones sustinerent neq; aliud quidpiam praeter nuditatem, iucundissime verò in aquam gelidam se ipsos abijcerent. & multi hoc etiam fecerunt ex his hominibus, qui neglecti & sine custodia iacebant, in puteos se demittentes, inexausta siti perpetuo laborantes, & in pari periculo versabatur nimius, & parcus potus, & requiem penuria, ac vigilia perpetuo vrgebant. Et corpus quoad morbus quoq; vigeret, non extenuabatur, sed resistebat praeter opinionem malo, adeo ut vel morerentur plurimi nona, & septima die ex interno aestu adhuc habentes aliquid roboris, vel si effugerent, descendente morbo in ventriculum, & exulceratione vehementi in ipso excitata, profluuioq; simul sincero incidente, & multi postea ex imbecillitate interibant. Percurrebat enim vniuersum corpus a supernis partibus inchoans, cui in capite primum sedes fuerat, malum. Et si quis fuisset ex maximis periculis superstes extremorum prehensio id significabat. inuadebat enim verenda & in summas manus, ac pedes, & multi his amissis effugerunt Sunt etiam qui oculos amiserunt. Nonnullos verò obliuio coepit statim a morbo vindicatos omnium rerum pariter, nec agnoscebant se ipsos quoq; aut familiares. Cum enim genus morbi esset maius, quam ratiocinatione comprehendi posset & in alijs rebus acerbius, quam humana pati natura posset, inuasit vnumquemq; & in hoc potissimum significauit, se quiddam maius esse malum, quam ea sunt, quae solent homini contingere. Aues enim & Quadrupedes quaecunq; hominum carnes attingunt, cum multa essent insepulta cadauera, vel ad ea non accedebant, vel si gustassent, moriebantur Vatiaeq; meum dictum argumento confirmant, quod scilicet manifestus erat auium huiusmodi defectus & neq; visebantur vsquam alibi, neq; circa tale quidquam. Canes verò magis sensisse significabant euentum, ob suum cum hominibus contubernium. Morbus igitur iste (omissis multis alijs de admirabili illius praeter naturam euentu, vt vnicuiq; accidebat aliquid ab alio diuersum) eiusmodi erat omnino natura, & alius nullus morbus ex his, quae solent hominibus contingere, illo tempore vexabat. Quiq; exoriebatur, in hunc desinebat. Moriebantur vero alij quidem neglecti, alij verò exquisita adhibita diligentia curati. Neq, vllum extitit medicamentum (vt ita dicam) quod posset sperari aegrum, si quis illud offerret, adiuuaturum. Nam quod alicui contulerat, alium id laedebat. Et corpus nullum visum est par, quod posset illi morbo reluctari ratione roboris, aut imbecillitatis, sed omnia tollebat corpora, & omni cum victus ratione curata. Grauissimum vero erat in toto hoc malo tum animi consternatio, vbi quis se

morbo

morbo correptum sentiret (ad desperationem enim subito conuersa mente multo magis proijciebant semetipsos, neq; morbo resistebant) tum quòd alter ab altero curatione repleti veluti pecudes interibant. & ingentem istud stragem edebat. Siue enim nollent timore perterriti se mutuo adire, peribant deserti, & domus quamplures exhaustæ sunt inopia curantium, siue accederent, eadem vi morbi repleti interibant, & præcipuè qui virtutis aliquid profiterentur: præ pudore enim non parcebant sibi ipsis ingressi ad amicos visendos, quoniam lamentationes morientium domestici tandem exhausti labore negligebant a magno malo superati. Magis illi, qui euaserant & morientem & laborantem miserebantur, tum quòd malum ante experti cognoscerent, tum quòd ipsi iam in tuto essent: Bis enim eundem hominem morbus non ita corripiebat vt interficeret. Et beati ab alijs dicebantur; & ipsi subito gaudio elati etiam in sequens tempus spem quandam leuē habebant, se neq; ab vllo alio morbo amplius interfectum iri. Afflixit verò ipsos magis præter præsentem laborem etiam comportatio ex agris in oppidum, & non minus ipsos aduenientes: Cum enim non suppeterent ædes, sed in tugurijs æstuosis tempore anni æstiuo habitantibus strages fiebat nullo ornatu aut ordine sed mortui illi super altos morientes iacentes. & in vijs volutabantur, & circa fontes omnes semimortui aquæ desiderio, & templa ipsa, in quibus tabernacula construxerant, mortuis erant corporibus referta, qui ibidem moriebantur. Præter modum enim sæuiente morbo, homines non habentes quid agerent in eam mentem versi sunt, vt Sacra Sanctaq; omnia pariter negligerent, legesq; omnes sepulcrorum perturbatæ sunt, quibus antea vtebantur, sepeliebatq; vt quisq; poterat, & multi ad impudentia sepulcra animum conuerterunt penuria necessariorum quòd iam frequentes sibi domestici ante occubuissent. In alienas enim Pyras alij anteuertentes eos, qui extruxerant, & imponentes suum mortuum, ignem accendebant: alij dum cremaretur alterum, suum ipsi cadauer inijcientes, quod ferebant, abiere. Primumq; cœpit & ad alia in ciuitate maioris improbitatis scelera auctor esse morbus: facilius enim audebat quisq; quæ prius occultabat, ne libidine patrare videretur, cum repentinam rerum commutationem aspicerent, & beatorum subito tamen commorientium, & eorum, qui nihil ante possidebant, repente eorum bona consequentium. Quare velociter perfruendum bonis, & ad voluptatem iudicabant momentanea, diemq; vix duratura & corpora & bona pariter existimantes, & nemo ad obeundos labores pro eo quod videretur honestum promptus erat, incertum existimans, an priusquam id assequeretur, interiret: quod verò nouerat iucundum, & ex omni sibi parte quæstuosum, hoc & honestum & vtile constituebatur. Deorum verò metus, vel hominum lex nulla deterrebat, illud quidem iudicantibus ex æquo esse, siue colerent, siue non colerent, quod omnes viderent pariter interire. Erratorum verò nemine sperante quoad iudicium constitueretur se vitam producturum, vt pœnas daret, multoq; maiorem iam sibi decretam pœnam impendere arbitrantibus, quæ priusquam incideret, æquum iudicabant aliqua vitæ voluptate frui. Tali igitur calamitate Athenienses circumuenti affligebantur, & hominibus intra Vrbis mœnia morbo intereuntibus & regione foris ab hostibus vastata: In malo verò hoc (vt videtur esse consentaneum) in memoriam

moriam reuocarunt carmen hoc quod seniores asserebant cani solitum antiquitus,

Doriacum aduenier bellum, & læmos simul ipso.

Orta igitur altercatio inter homines, cum dicerent non lamos pestilentiam esse nominatam in versu ab Antiquis, sed Limon famem: sed euicit in præsenti non immeritò, vt pestilentia diceretur. Homines enim ad mala, quæ patiebantur, carminis reuocatam memoriam accomodabant. Si verò, vt opinor, aliud aliquando bellum inuadat Dorscum, post hoc & forte fortuna contingat adesse famem, verisimiliter hoc modo canent. Memorabatur etiam Lacedæmoniorum oraculum ab his qui norant, cum sciscitantibus ipsis Deū an opporteat bellū gerere, respondit.

Victoriam fore fortiter bellantibus

Opemq; se laturum eis.

De Oraculo quidem ea, quæ fiebant, coniiciebant, esse consentanea. Vbi enim Pelopponenses impreßionem primum fecerunt, morbus statim cœpit, & ipsam quidem Pelopponesum non inuasit, quod sit dignum commemoratione. Depastus verò est Athenas præcipuè. Deinde & ex alijs locis ea, quæ erant hominibus referti ßima. Et hæc quidem sunt ea, quæ in morbo euenerunt. Hactenus Thucydides.

PROCOPII LIBRO SECVNDO de bello Persico, sub Iustiniano Imperatore Anno Christi. CCCCCLIIII.

De Peste Constantinopolitana narratio.



VIT insuper iisdem temporibus ingens pestilentia, cui remedium nullum inuentum præterquam ex Deo, vnde venit: quanquā multi arrogantes phisiologiæ causas commentari contendant vanas quidā omnes, & inuestigabiles, tantūque sermone decipientes. Hic enim morbus nulli neq; ætati, neque Sexui, neque loco parcebat. Vnde verò initium habuerit; aut quomodo perimebat, referam. Cœpit enim ab AEgyptiis, qui apud Pelusium sunt: hic vniuersam terram comprehendit, itinere semper procedens, nullas reliquit locorū latebras, nec bis eadē corpora repetebat. Incipiebat autem hoc modo. Phantasmata dæmonum multis humana specie visa sunt: quot enim in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro putabant, morbusque subito irruebat.

Nonnulli ab initio verbis sanctis ac aliis (vt poterant) supplicationibus eum auertere frustra quærebant: ac tanquam lymfati seu spiritu maligno agitati amicos vocantes minime audiebant: in locis quoque angustis cœrcebantur. Nonnullis verò in somnis hæc eadem accidebant. Corripiebantur enim statim febre calore colorequepariter corporis nusquam mutatis, neque vlla item inflammatio (vti febricitantibus solet) sed tussis quædam ab initio vsque ad vesperam febris erat, adeo vt nullo adhibito medicamento, nullius opinionem periculi præberent. Eodem verò die nonnullis sequenti, aliis non multo post tuber succrescebat, aliis alibi. Præte-

rea

rea quibusdam somnus inerat profundus, nonnullis acuta quædam stultitia, & primum quidem omnium obliuio rerum, etiam cibum negligentes moriebantur. In stultitia verò corripi sibi visi aut inuadi clamitabant, auertentesq; fugiebant: quorum curatores, & ministri dira atq; intoleranda patiebantur, adeo vt non minus ipsi quam ægroti misericordia digni fuerint, non quod morbo, & ipsi afficerentur (non enim is contagione nocebat) sed quod furentes aut è tecto se præcipitare aut ad flumina ob sitim properare volentes vix retinebāt. Teribant aliqui eodē die, nonnulli multis post diebus. Tribus igitur mensibus huiuscemodi lues Constantinopoli præualuit, & ab initio quidem pauci, deinde in singulos dies quinque sæpius etiam decem millia efferebantur; adeo vt plures etiam diuites ministris iā omnibus extinctis, curatorum penuria magis quam morbo perirent, & insepulti manerent. Subdit his Procopius de nauata opera ab Imperatore per Theodorum Referendarium, vt afflictæ ciuitati subsidio esset.

EVAGRII HISTORIA DE PESTE per quinquaginta duos annos cōtinuò deseuiente.



IC verò præfatus Auctor rem hanc exorditur. lib. 4. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 28. Iam verò narraturus historiam nunquam antea memoria proditam de morbo, qui quinquaginta duos annos inter homines grassatus est, & ita inualuit, vt vniuersum terrarum orbem depasceretur. Nam biennio post Antiochiam a Persis captam, pestifer morbus in eam inuasisse dicitur, in nonnullis rebus ei qui a Thucidide describitur, persimilis. in alijs quibusdam ab eo multum discrepat. initium cœpit ab Antiochia sicut & ille, qui a Thucidide commemoratur, orbemq; terrarum vniuersum deinceps peragrauit: neq; quisquam mortalium fuit, qui eius effugerit cōtagionem. Ac nonnullas Vrbes vsq; eo opprimebat quo ad eas omnibus suis habitatoribus orbasset: cum alijs autē quos fortè occupauit, lenius egit, ac mitius. Neq; certo definito tempore grassari cœpit, neq; rursus cum grassaretur simili ratione & modo desijt: quippe nonnulla loca ineunte hyeme & alia sub finem veris, media æstate quædam, alia autumno progrediente occupauit, & quibusdam in locis cum partem Vrbis attigisset, reliquas deseruit. Ac non rarò licebat videre in ciuitate morbo illo laborante quasdam familias prorsus extinctas: interdum verò vna & altera familia interempta, reliquam Vrbem integram incolumemq; mansisse. Quin etiam familiæ, quæ integræ manserunt, sicut accurata obseruatione comperimus, sequenti anno sola morbo vexabantur. Atq; quod est omnium maximè mirandum, si qui fortè Vrbes infectas incolentes ad alia loca quæ morbus minime inuaserat, demigrarent, illi soli morbo opprimebantur, licet ex ciuitatibus infectis ad alias integras, se, quò vitæ consulerent, transtulissent. Atq; hæc quidem calamitas circulorum conuersionibus sæpe tum in Vrbes, tum in alia loca peruasit: Sed tamen maxima omnium pernicies secundo anno circuli qui spatium quindecim annorum cōplectitur in homines perlapsa est, adeo vt me, qui ista litteris prodo: (placet enim ea etiam Historiæ attexere, vt res quarum aliæ alijs appositæ conueniant,

coniungam) me inquam, dum scolas adhuc frequentarem, in initio huius contagionis abscessus illi, qui in inguine enasci solent, occuparent. Accidit quoq; vt morbo isto varijs grassante modis, tum complures ex liberis meis, tum coniugem, tum permultos cognatos partim in Vrbe, partim in agris degentes amitterē prout circulo calamitates ista mihi distribuerent. Cum autem ista scriberem quinquagesimo octauo anno scilicet ætatis, non biennio ante morbus iste quater Antiochiā occupauerat Ac cum iam quartus ab initio circulus delapsus esset, præter liberos, quos supra posui, filiam præterea, & nepotem perdidi Morbus verò iste ex varijs morborum generibus expositus fuit. Nam in nonnullis hominibus caput primum exorsus oculos cruentos vultumq; tumidum reddidit Deinde in guttur dilapsus est, & quemcunq; occuparet e medio sustulit. Alijs fluxus alui contigit. quibusdam abscessus in inguine exorti, indiq; febres inprimis ardentes, adeo vt biduò, aut ad summum triduò mortem obirent, perinde tum animo, tum, corpore affectis atq; illi quibus mali nihil accidisset. Alij de mentis statu deturbati vitam ediderunt. Quin etiam carbunculi e carne erumpentes multos extinxere. Euenit etiam interdum vt qui semel atq iterum ab hoc morbo correpti euasissent, rursus eadem oppressi interirent. Quod autem ad rationem morbi contrahendi attinet, ea sanè iā varia sunt, vt nulla possint oratione explicari. Nam alij solum vna versando pariterq; vitam degendo fuere infecti. Alij tangendo dumtaxat, & in eandem domum ingrediendo, alij in foro; non pauci qui ex Vrbibus contagione infectis fugientes integri manebant, sanis & valentibus morbum impertierunt. Alij qui cum ægrotantibus versabantur, & non modo ægros, sed etiam mortuos attingebant, non omninò in morbum inciderunt. Alij quibus tamen si propter liberorū, aut necessariorum interitum in optatis fuit morte occumbere, & maxime ob hanc causam se ægrotantibus admiscuere; tamen perinde ac si morbus eorum aduersaretur voluntati, neutiquam eo occupati sunt: morbus autem, vt ante a me dictum est, totum orbem terrarum iam ad spatium quinquaginta duorum annorum depastus est, omnesq; morbos, qui vnquam extitissent, longè superauit. Philostratus autem demiratur pestem, quæ sua ætate viguit, ad quindecim annos continuatam esse. Verum quæ futura sunt, hominibus incerta sunt, & incognita eoq, vuoluuntur, quo Deo, qui & causas rerum, & quorsum tendant, cognoscit, visum est. Hæc Euagrius.

Porrò tres istę relatę historiæ omnium acerbissimæ, & celeberrimæ soluendis Problematibus lucem afferet non minimam.



IN-

INDEX PROBLEMATVM.

1 PESTIS cur morbus difficilè sanabilis.
2 Peste cur aliqui lædantur, alij minimè
3 Pestis tempore cur repentini interitus frequentissimi absq; ullius præcedentis morbi signis vel accidentibus
4 An in humano corpore ex putridis humoribus venenum naturaliter gignatur.
5 Pestis tempore Pauperes Num in locum vnum vel plura recludendi
6 Vrbes populatiores Pestis cur perprius inuadat.
7 Moniales & carceribus inclusi cur a peste minus lædantur
8 Cur pro peste auertenda D. Sebastiani patrocinium vbique imploretur
9 Corpora hoc morbo extincta cur præmollia, & in omnem partem flecti facillima, cetera verò cadauera obrigescant.
10 A Peste illæsus cur alios lædere possit
11 Cur aliquibus morbis afficiantur morbo accedentes, a sanitate verò nemo sanetur.
12 An dentur regiones Pestilentis morbi prorsus expertes.
13 Pisces a peste Num sint immunes.
14 Cadauera lue extincta Num ab Animantibus carniuoris attingantur, vel potius ab eis aufugiant.
15 Pestilentia An bis eundem hominem corripiat.
16 Robustiores cur præ ceteris peste prostrati
17 Bubones cur in inguine, vel sub axillis frequentius appareant.
18 Maculæ pestiferæ cur post mortem interdum appareant prius inuisæ.
19 Cur maculæ pestiferæ in dorso & in pectore, non in facie conspiciantur
20 De signis futuræ Pestilentiæ in aliqua regione
21 De Pestilentiæ causis, et Num aer putrescat, et quomodo
22 Teterrimo odore An pestis inducatur
23 Auditu et visu pestis An contrahatur
24 Imaginatione et metu pestis Num in humano corpore procreetur.
25 Humana arte vel malitia Pestilens lues Num quandoq; inducatur.
26 Qua anni parte oriatur, ac intereat Pestis
27 De Quantitate temporis, quo Pestis in aliqua Prouincia vigere solet
28 De Quantitate temporis, quo perdurare solet fomes contagiosus in vestibus sericis, lineis, aut laneis.
29 De sfera actiuitatis corporis Pestilentialis, hoc est ad quam distantiam agendo possit alios inficere
30 Quod nam contagium sit magis perniciosum, quod est ex contactu immediato, an ex fomite, vel ex aere
31 De signis Pestis corpus aliquot inuadentis.
32 Pestis remedia spiritualia
33 De remedijs Characterum
34 Pestis remedia naturalia
35 De cibis vitandis, et deligendis Pestis tempore
36 Quod genus indumenti tempore pestis vtendum, quod fugiendum.



PHILOSOPHICA DE PESTE PROBLEMATA.

PROBLEMA PRIMVM.

Peſtis cur morbus difficilè ſanabilis.



AN quia in quibuſuis peſtis initijs Tridentinæ, Patauinæ, Venetæ, Mantuanæ, Mediolanenſis, Panormitanæ, Florentinæ, Medici, peſtilentialis morbi naturam, qui eſt de raro contingentibus, cognitione minime aſſequantur, & dum inter ſe diſputant, An ſit vel non ſit peſtis, interim deſæuiens longè lateq; per varias Vrbis partes graſſatur. Nec mirum. Hic enim error non minus doctos ſolùm, ſed etiam doctiſſimos non paucos decepit, veluti de anno 1575. duo illa clariſſima Medicæ artis lumina Capiuacceũ & Mercurialẽ Patauinę Academię primarios Lectores qui teſte Natali de Comitibus lib. 27. Suę Hiſt. aſſerebãt morbũ tunc Venetijs vigentẽ nõ eſſe peſtẽ, nec aliud morbi genus contagioſũ, quã ſententiã pluribus fundamentis corã Senatu confirmarunt, ac illius morbi curationi ſeſe totos deuouerũt; Quod munus dum diligenter præſtant, fuerunt in cauſa, vt mox conſuetudine, & commercio morbus propagaretur, ac latiſſimè ſerperet, & ideo coram eodem Senatu Paliñodiam recantarunt. Itaque in dubio tutior pars eligenda eſt, & vitandum cõmercium. Sed vbi ſcitur morbum eſſe peſtilentem, cur inſanabilis? An fortè quia curatio ſolis inexpertis, ac Tyronibus, relictis peritioribus, vt plurimum demandatur, qui cum omnia aleæ permittant, prius peſtilentia ceſſat, antequam docti euadant. An quia lue contacti quamdiu poſſunt, contagionem pertinaci ſilentio operiunt, pręcordijs interim ita grauiter læſis, vt curari non poſſint. An quia tam multa, ac diuerſa ſunt iſtius morbi ſymptomata, vt ſingulis penè momentis varia, ac diuerſa fomenta ac antidota requirat, quæ cum ob Medici abſentiam aptè adhiberi nequeãt, æger acerbitati mali ſuccũbit. An potius quia peſtis infenſi Numinis telũ eſt ad vlciſcenda humana crimina a Deo pręparatu, quod a cœleſti iaculatore tã deſtinatu ictu libratur, vt multorũ conſcij criminũ præcauere illud nõ poſſint. Hanc rationẽ fuſius explicauimus in præfatione, dũ multis oſtendimus peſtis tẽpus bellum diuinũ aptiſſimè dici, peritioreſq; medicæ artis profeſſores arcanam quandam, & diuinam virtutem in hoc morbo agnoſcere, cur nullo quouis remedio ſanari vt plurimum poſſit, cum peſtis illa minimè ſit, quę maiorem eorum, quos corripit, partem ab hac vita non tollat. Quæ omnia paucis verbis

ſigni-

significauit Procopius vbi supra inquiens. *Fuit insuper ijs temporibus ingens Pestilentia, cui remedium nullum inuentum præterquam ex Deo, unde venit.*

PROBLEMA II.

Peste cur aliqui lædantur, alij minimè.



Irari satis non possum, cur aliqui dies noctesq; in media pestilentia versantes a tanto periculo illæsi conseruentur, alij verò optimę corporis constitutionis & viribus valentes facillimè contagio contaminentur? quęro rationem huius naturalem. An forte diuersitas est a naturæ similitudine, siue a sanguinis, & spirituum analogia, qualis esse solet in cognatis, vel in amantibus; omnis enim receptio fit per similitudinem, itaut simile facilè recipiat simile. Similitudo autem ista vt monet Mercurialis de peste cap. 12. ante finem attendenda est & cum ipso vapore pestilenti, & cum corpore, a quo manauit, itaut ex vtrisq; facilè sequatur cōtagium. An etiam causa esse potest, quia qui cutis meatus apertiores habent, aerem infectum, in maiori copia recipiunt, consequenter magis læduntur: qui obstrutiores minus aeris attrahunt: minusq; læduntur, ideo corpora rara magis subduntur contagio, quam reliqua. An etiam quia in humanis corporibus ex putridis humoribus paulatim gignatur interius venenum, quod a pestilenti aura vel tactu incrementum recipit, vltimamq; dispositionem. An forte quia cum pestis nil aliud sit, quam gradus putredinis excellens, quod præcordia inuadere conatur, quò alij ab alijs sunt humiditate putrida discreti, eo etiam contagio. Ex quo fit malinconicos, cum frigidi & sicci sint temperamenti, minus peste corripi, flematicos non nihil, colericos multo magis, sed sanguine copiosiores ob caloris & humidi prædominium, quod facile putrefit, facilius præ ceteris peste capiuntur. Hinc pueri, & fœminę, in quibus cum noxio calore viget humidum, huic morbo addicuntur, vt hoc anno etiam contigit. Senes verò frigidiores, & ficciores, a putredine, & exitiali hoc igne remotiores sunt. Quamuis etiam oppositum interdum euenisse cōpertissimum sit. Refert enim *Sigonius lib. 20. sua historia anno salutis* 558. iuuenes vi illa morbi pestilentis magis absumptos, sed ex ijs magis mares, quam fœminas. E contra pestē in Virgines pverosq; ingruisse solos, aliàs in solas grauidas *Dyonisius Helicarnasæus lib. 4. et lib. 9.* testatur. Pari modo sicut datur sæpe quædam pestis species, quæ vnum genus animalium v. g. pecundum, bouorum inuadit, non aliorum, ita non erit naturæ dissonum, dari quandam pestis speciem, quę vnum genus hominum, non aliorum corripiat, qualis fuit illa, quæ Basileæ Heluetios solos, non Italos, aut Gallos afficiebat, vel alia in Indijs occidentalibus, quę Indos solos, non nostrates, licet cum illis versantes opprimebat. Verum quod inter eiusdem regionis incolas in eadem natos & educatos soli Ethnici, vel Hębrei, illæsis omnibus Christianis, hoc morbo lędantur, vt recitat *Eusebius historia Ecclesiastica libi 9. cap. 8.* id naturaliter oriri non potest, quia fides Christiana non alterat, vel immutat corporis constitutionem, vt in prefatione copiosius disserui-mus: interdum etiam nationes nonnullæ ob collutionis frequentiam, consuetudinemq; morbi ita firmati obdurverunt, vt nihil aut non magnopere contagium timeant, sesesq; interse inuisant, curent, funera prosequantur, cautionesq; ferè quasi turpe aliquid fugiant. Tales sunt illi qui Heluetijs in profanis patent, sed in spiritualibus Archiepiscopo Mediolanensi, vt eisdem verbis recitat ex nostris *Carolus a Basilica Petri lib. 4. cap. 1. de rebus gestis D. Caroli Borromæi.* Tales sunt Vespillones, qui pestifero commercio diutissimè assueti quendam veluti habitum cō-

trahunt,

trahunt, quem alteram esse naturam nemo ignorat. Sicut enim quis assuefie-re potest veneno ne lædatur, vt de Mitridate ferunt, item sicut in aere pestilenti nati, & educati minus incommodi patiuntur, & nõ tam cito inficiuntur, ita Vespillonũ immunitatẽ in longiorẽ vsũ, & familiaritatem cũ peste refferendam censemus. Addimus etiam istos absq; timorè hilarem hoc tempore vitam traducere, generosoq; vino, quod optimum esse pestis Antidotum infra demostrabo, omnia putridinis, & pestilentiæ semina propellere.

PROBLEMA III.

Pestis tempore cur repentini interitus frequentissimi absq; vllius præcedenti morbis signis vel accidentibus.



HOC est læthalissimę pestis manifestum inditium, cum robustissimi iuuenes, & viri, vel fœminæ, quos perfecta constare valetudine Hippocrates ipse iudicasset, tamen absq; præcedenti morbo vllo, symptomate, vel febri, aut corporali alteratione, quasi cœlesti fulgure tacti concidunt. Hoc autem in omni ferè pestilentia accidisse Historiæ testantur. Siquidem Romæ in ea peste sub Romulo vt auctor est *Plutarchus in Romulo* homines statim absq; morbis peribant. Idem refert *Sigonius lib. 1. & 20. de regno Italiæ*, vbi ponit D. Gregorij concionem ad populum, quæ sic habet. Vniuersus populus cœlestis iræ mucrone confoditur, cum singuli repente adeo moriantur, vt non languor mortis impetum præueniat, sed mors ipsa languoris tarditatem præcurrat, ac perculsus quisq; ante rapiatur, quam ad lamenta pœnitentiæ traducatur. Idem euenisse in peste Mediolani de anno 1576. auctor est noster *Carolus à Basilica Petri de gestis D. Caroli Borromæi lib. 4. cap. 8.* vbi sic fatur. Accidit autem in vico Tritio vt ęgrotus quidam vix Caroli manu peruncta fronte mortuus caderet ante illum: idem testatur de peste Veneta eodem anno vigente *Natalis de Comitibus lib. 27. suæ historiæ*, quemadmodum aliquæ etiam visæ sunt in præsenti contagione Florentina. Quęro ergo naturales huius rei causas. An quia huiusmodi viri febri ephemera pestilenti, vel ethetica pariter pestilẽti vtraq; insensibili per prius laborabant, quę corruptis spiritibus in cordis sinu contentis vitam repentino euentu extingunt. At hoc non quia febris Ephemera foris se prodit manifestis signis in pulsu in inflammatione spirituum, & in multis alijs accidentibus, vt egregiè probat *Gerardus Columba Messanensis lib. 1. cap. 33.* Deinde quid prohibet quem sine febri mori corde suffocato? Tertio mirum esset, quomodo febris Ephimera tam repẽtino impetu robustissimos quosq; vno ictu possit prosternere. Quarto pugnat id cum experientia, cum illos supponamus sæpe subita morte hoc pestis tempore corripi, quos nulla febris prorsus afficiebat, sed ceteros viribus, & incolumitate vincebant.

An igitur subita hæc multorum mors referenda est in excellentem putredinis gradum, ex quo tam praui vapores exhalant, vt cor petentes, illud etiam sine vlla febri insigniter lædant.

An forte causa erit humorum plenitudo, quę intus inclusa, cessante insensibili essalatione, obstructis meatibus cor suffocat & necat, vt etiam alijs temporibus non pestilentibus non semel in pinguibus & corpulentis accidit. Verum hæc ratio non est propria pestilenti tempori, in quo frequentissimas has subitas mortes experimur. Ideo verior causa illa dicenda est, quæ ad venenum intus genitum, vel in corpus ab extrinsico fomite attractum recurrit, qui ad cor ascendens prius ipsum aggreditur, & corripit, antequam fiat incendium & putrefactio per cor-

pus

pus diffusa, & ideo tunc nulla videntur morbi indicia tam ante quam post vitam ereptam. Si verò facultas naturalis cordis venenatam materiam a se propellat, tunc varia symptomata in capite, vel in thorace, vel in ventriculo, vel in inguine apparent iuxta venenati humoris emissi locum, copiam, virtutem, & qualitatem de quibus legendus Mercurialis cap. 18. de pestilentia, vbi allatam rationẽ approbat & confirmat. Sed verum in humanis corporibus naturaliter verum venenum gignatur sequenti problemate fusius inuestigandum erit.

PROBLEMA IV.

An in humano corpore ex putridis humoribus venenum naturaliter gignatur.



SVNT qui pestis causas solum enumerent externas, de quibus nos pluribus egimus par. 1. cap. 1. de internis vero ne minimum faciunt verbum. Alij vero interiorem omnino negant. Verum interiorem præcipuam pestis causam assero, quæ quidem ex vitiatis humoribus coaceruatis noxio calore putrescẽtibus intus gignitur, nulla alia quandoq; causa exterius influẽte. Docuit id sępe *Galenus vt in 3. Epid. cont.* 75. vbi agit de phrenetico, qui vomuit virulẽta ex vitiatis humoribus paulatim collecta, in quo eadem accidentia apparuerunt, quę in veneno sublatis conspiciuntur. Idem *dicit lib. 5. de locis affectis cap. 7.* & alibi. Sequitur eandem sententiam *Cardanus lib. 1. de venenis cap. 6.* vbi tradit pluribus modis gigni posse in nobis venenum. Primo ex parentum affectionibus. Secundo ex humorum adustione. Tertio ex corruptione frequenti ciborum. Quarto ex noxijs curis, ira, odio, vigilijs, crapula. Quinto ex ipsis lignis, & prunis quibus carnes torrentur. Nec dissentit *Mercurialis lib. 1. de venenis cap.* 14. vbi pluribus id demonstat præsertim exemplo seminis retenti, quod generat venenum, item exemplo muliebris menstrui, quod inficit specula, necat segetes, & herbas omnes, si per hortum mulier deambulet, dum sibi menstrua profluunt, cohabitantes cum muliere menstruata lepram contrahere, alijsq; affici lethalissimis morbis, quare apud Hæbreos vetitum erat, ne viri cum muliere menstruata in eodem balneo lauarẽtur, quia sanguis menstruus interdum venenum euadit. Subdit tamen Mercurialis non fieri in nostro corpore verum venenum, cuius causa efficiens neq; esse posset calor naturalis, neq; pręternaturalis, quia veneni vis maior est omni calore præternaturalis sed nullus effectus excedit virtutem suæ causæ: fieri tamen in nobis aliquid veneno simile, cuius similitudo consistit in tribus in celeritate mortis, in symptomatibus, in putrefactione, & corruptione humorum. Hinc deducitur labi posse imperitos, putantes quem veneno necatum, cum fuerit interno, quod est ita externo simile, vt communia, & simillima sint exterius signa, & accidentia in humano corpore procreata.

Mulierem nouimus claro genere, diuitijs refertissimam, viro suo orbatam, quæ vix pestis nomine audito, integra, & incolumis se subsq; liberos intra magnificas, & amplissimas ędes multorum mensium comparato commeatu seruis dimissis abdiderat, exterorum omnium aspectum, & alloquium deuitans, quibus tamen non obstantibus paucis diebus cum tota familia peste interijt. Idem accidisse suo tempore testatur Matthęus Villanus in descriptione suę pestis dum ait. *Fù biasmata da discreti, e la sperienza veduta da molti, i quali si prouedeuano, e si racchiudeano in luoghi solitarij e d'i sana aria, forniti d'ogni buona cosa da viuere, oue non era sospetto di gente infetta, in diuerse contrade il diuin giudicio (à cui non si puote serrar le porte) gl'ab-*

batte

batè come gl'altri, che non s'erano proueduti. In his ergo & similibus euentibus nisi ad diuina iudicia confugiamus, vt confugit hic Auctor, nulla alia aptior ratio naturalis afferri potest, quam prædicta, nempe istos, vel aliquem istorum interno veneno pestem contraxisse, quæ alios infecit. Quod idem fatendum est, vbi pestis in aliquam regionem nō asportatur, aduenis omnibus prorsus exclusis, nec aer infectus cognoscitur, quo casu deueniendum est ad aliquem priorem, qui per intrinsica principia contagione affectus fuerit, quā contactu, commercio, fomite in alijs disseminauit.

PROBLEMA V.

Pestis tempore Pauperes Num in vnum locum, vel plura recludendi.



Etrus Parisius *in suo tractatu de peste cap. 2.* Præfectos Ciuitatis includentes pauperes in vnu vel plura loca pestis tempore acriter reprehendit. Verum hoc remedium Venetis olim fuisse admodum salutare narrat *Sabellicus lib. 3. Decadis quartæ rerum Venetarum:* quo vsus est etiam D. Carolus Borromæus in peste Mediolanensi de anno 1576. vt testantur acta ipsius in Concilio V. Prouinciali, & noster *Carolus à Basilica Petri de gestis eiusdem libro quarto.* Idē adhibuerunt his tribus annis *Florentini Decuriones*, nec sine maxima vtilitate, & optimo consilio. Pestis enim fomes est populus, & multo magis pauperes, qui tum ob ędium angustias tum ob prauam rationem victus præ cęteris inquinantur, morbumq; depascunt, qui si per vicos Vrbis peruagari permittantur, dubium non est, quin breuissimo tempore Vrbem ferme vniuersam coinquinatam experiamur.

PROBLEMA VI.

Cur Vrbes populatiores pestis perprius inuadat.



N quia sicut crassiora corpora grauioribus morbis vexantur, sic frequentiora loca pestilentia.

An forte causa referenda est in aeris inclusionem in populatioribus Vrbibus, in quibus tum viæ tum saltem ædes angustissimę sunt, & populus multus: aer enim diu occlusus facile putrefit, qui postea in proximiores ædes serpens, & attractus contagium generat. Et hæc videtur ratio, cur ex peste vnius in vna domo integrę familiæ omni seclusa consuetudine sępe extinguantur. An potius ratione commercij id oriri dicendum erit, quoniam ad frequentiores Vrbes aduenæ vndiq; frequentissime confluunt, qui ad illam pestis seminaria etiam inscie deportant.

PRO-

PROBLEMA VII.

Moniales cur a peste minus lædantur.



AN quia sacris abditæ parietibus venenatum auram minimè attrahunt, quę ex cadaueribus, putridisq; aquæ vel terrę vaporibus profluunt. Hinc carceribus inclusi a peste fere semper fiunt immunes, ad quos pestilens vapor non peruenit. An etiam quia moniales vtuntur potu tenuissimo, simplici cibo, abstinent se a laboribus, ab itineribus, a copula & ideo corpora ipsarum minus sunt præparata ad pestiferam labem recipiendam: inficiuntur tamen interdum etiam ipsę, vt hoc anno in Mediolanensi Prouincia, nec non in Vrbe Pisana. Porro vna infecta ob similitudinem victus, habitus, complexionis, respirationis, eundem morbum reliquæ facilè contrahunt: & ideo propter aerem pestilentem intus inclusum, licèt egressus de Episcopi consilio, & facultate, vt supra dictum est.

PROBLEMA VIII.

Cur pro peste auertenda Diui Sebastiani Patrocinium vbiq; imploretur.



COniectura fortè illa esse potest, quam retulit *Pierius Valerianus lib.* 42. Cũ enim apud veteres Festus Hieroliphicũ fuerint Apollinis sagittę in Græcos immissę, necnõ apud sacras litteras idem mor bus Numinis infensi telum fit: *Nisi conuersi fueritis arcum suum vibrauit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*: vbi contagia tum vasa mortis, tum ardentissimæ diuinæ irę sagittę nuncupantur: ideo Christiana pietas e Diuorum numero SEBASTIANVM sagittis impetitum aduersus pestiferum morbum sibi tutelarem elegit, cuius patrocinium cum sæpe multæ Vrbes, præsertim Mediolanensis anno Christi 1576. re ipsa probauerint, idcirco communi Christianorũ voto pro hoc morbo depellendo SEBASTIANVS inuocatur, nullis alijs extantibus in eiusdem gestis huius rei vestigijs.

PROBLEMA IX.

Corpora peste extincta cur præmollia, & in omnem partem flecti facillima, cetera verò cadauera obrigescant.



AN quia vehementissima pestis vis toto impetu corpus humanum ita inuadit, vt omnem penè soluat neruorum colligationem? An potius eundem effectum præstat humidi putrescentis prædominium, a feruido & noxio calore ita alteratum, vt in morbidam, & laxantem tendat humani corporis corruptionem: interdũ tamen etiam corpora peste extincta obrigescere visa sunt, præsertim illorum, quos interius venenum vel genitum, vel attractum præcordia repentino impetu occupabat, absq; alia naturæ pugna & obsistentia.

PROBLEMA X.

A peste illæsus cur alios lædere possit.



N quia latitans intra vestes vel in extrema cutis parte noxius & pestilens fomes venenatam auram foras emittit, quæ a proximioribus attracta, quotquot corpora præparata habent, tot inficit & iugulat, saluis ipsis noxij vaporis delatoribus, vel ob eorum frigiditatem, & siccitatem, vel ob cutis duritiem & densitatem, vel ob naturale temperamentum magis resistens, vel ob diuturnam consuetudinem, & contractum vsum. Certe in Vespillonibus id apparet verum, quorum nos propinquitatem, & consuetudinem meritò refugimus, cum tamen ipsi inter agmina cadauerum illęsi permaneant. Ergo peste non affectus alios inficere potest. Idem videre est in muribus, fellibus, canibus, quæ animalia illęsa permanentia contagionem in alienas domos contiguas quandoq; deferunt, ideo publico Decurionū edicto in magnis pestilētijs vt in Vrbe Panormitana anno 1625. interfici solent. Pro eadem sententia adduco *Euagrium hist. Eccles. lib. 4. cap.* 28. cuius narrationem ad verbum supra attulimus. Hic ergo scriptor reddens rationem, cur pestis illa vniuersum ferè orbem peragrarit, inquit in aliqua loca irrepsisse, quòd multi sani homines ab infectis regionibus discedentes, & in liberas abeuntes, homines illarum regionum coniquinarēt, eo quod secum deferrent contagionis feminaria, quam alijs, qui corpora rara & præparata habebant, etiam inscię communicabant. Neq; id mirum cum etiam mulier sana, & ab omni gallico morbo immunis alium sæpe eodem morbo inficiat, veluti testantur omnes qui de gallico morbo scripserunt, inter quos post alios legendus est *Hieronymus Mercurialis in lect. de pestilentia cap.* 24. Neque hoc est contra Philosophicum axioma. Nemo dat, quod non habet. Siquidem in fœmina intus latebant gallici morbi feminaria, sed tamen propagata ac diffusa non erant ad exteriores illius partes. Quare dum illis accedit corpus viri paratius, cuius calor in ea occasione agitatus valde attrahit, mirum esse non debet, si gallicam labem, illęsa etiam muliere, in se facile trasfundat. Quod etiam roboratur notissimo exemplo illius puellæ ab Auicenna & alijs relato, quæ veneno a Rege Persarum enutrita, quos Rex volebat, osculo vel veneris vsu venenatos necabat. Nulla ergo admiratio esse debet, si interdum homo, vel bestia absq; proprio nocumento alios inficere possit. Ideo tempore insignis pestilentiæ magna cautio adhibenda est, & ab omni commercio etiam benè valentium cauendum.

PROBLEMA XI.

Cur aliquibus morbis afficiantur morbo accedentes, a Sanitate verò nemo sanetur.



OC quęsitum mouet Aristotiles sectione 7. problemate primo, vbi sic respondet. *An quoniam morbus motio est san tas autem quies? ergo ille mouere potest, hæc non potest. An quod alterum non voluntarie, alterum voluntariè accidit? Res autem non voluntaria a voluntarijs consultis plurimùm differunt.* Verum vt ingenij mei tarditatem fateear, licet Prior ratio satis probabilis dici possit, Posterior tamen intellectu difficilis videtur, cum tam morbus quam sanitas non inter voluntaria, sed inter naturalia connumerentur. Verior ratio illa

mihi

mihi videtur, quam subdit problemate quarto, vbi quærens *cur a tabe & lippitudine, & scabie capiuntur, qui appropinquarint, ab aquis autem interiecta, aut febre, aut stupore attonito, aut aliquo ex numero ceterorum malorum capi nequeant?* Huic quæstioni sic optimè respondet. *An a lippitudine quoniam oculus pars nostri corporis mobilissima est ceterarum maximè omnium res sibi obiecta similis reddi potest? quippe qui facilè moueatur ab eo quod moueat. Itaq; fit, vt eum perturbatum obspicit oculum facilè ipse etiam perturbetur. Talis autem contagio ideo fit, quoniam spiritum vitiat, grauemq; reddit, celerrimè autem omnes morbis arripiuntur ÿs, qui spiritu corrupto proueniunt, quale est omne pestilens genus. Qui autem appropinquarit talem profectò spiritum trahit, qualem æger ille reddiderit. Aegrotat igitur quia morbiferum est, quod spiritu trahitur: ab vno autem morbum excipit, quoniam vnus ille sic spirat, ceteri secus. Eundem verò quia quo ægrotarit, hoc non aliter spirat, quam fuerit affectus. Sed scabies magis quam lepra; ceteraq; vitia generis eiusdem afficere potest, quoniam per summa corporis errat, & humore manat glutinoso: genus namq; prurientium omne tale est. Itaq; id ipsum quia per summa oritur, glutinosumq; est nimium, idcirco attingere potest, cetera nequeunt vel quia non per summa proueniunt, vel quia persistere suam ob siccitatem non possunt, quamuis per summam autem oriantur.* Hęc Aristoteles. ex cuius verbis habes discrimē, cur approximatione scabies, lippitudo, pestis contrahatur, secus vere accidat appropinquanti alijs ægris. Nam communicatio qualitatis in morbis prouenit ex triplici capite iuxta mentem Aristotelis, Primo ex communicatione spiritus & halitus. Secundo ex humore glutinoso. Tertio ex prædominio humidi corrupti, quod facilè alieno termino terminatur. Cùm ergo hæc tria pestifero morbo maximè insint, mirum esse non debet, si facilè & celerrime communicetur, sanitati vero multisq; morborum generibus hæc conuenire non possunt, ideo sese communicare nec valent.

Nihilominus propositæ doctrinæ aduersantem obijciet nobis aliquis Gregorium Nissenum, qui exponens illa verba Saluatoris. *Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis*, effusè tradit, nullum morbum esse contagiosum, eo quia neq; sanitas est contagiosa, cum contrariorum eadem sit disciplina. Et si illi obijcias quotidianum experimentum, ex commercio infectorum sanos contaminari, respondet S. Doctor, id euenire, non quia infecti alios contaminent, sed quia omnes, qui peste corripiuntur, communi aere vtuntur, & eandem internam habent dispositionem. Verum Nissenum eo loco oratoris potius, quam Philosophi personam egisse suspicor, nixus auctoritate *Hieronymi Mercurialis cap. 3. de pestilentia in calce*.

PROBLEMA XII.

An dentur regiones Pestilentis morbi prorsus expertes.



PVD Locras, & Crotoniatas Pestem nunquam visam *Plinius lib. 2. cap. 98.* testatur. Item regionem illam occidentalem AEthyopiæ, quæ fluuium Nigir appellatum accolit, contagione nunquam tentatam Iulius Scaliger exercitatione trigesima secunda scriptū reliquit. Quod idem priuilegium Nigritis, & Moscouitis collatum narrat *Hieronymus Mercurialis lect. de pestilentia cap. 17.* Pari modo apud Calecutum Vrbem Indicam, & totam illam regionem pestem nunquam viguisse *Cardanus lib. 10. de subtilitate* retulit, & approbauit. Prouenit hęc immunitas ex nimia caliditate, & siccitate regionum, quæ tollit humiditatem putrefactionis pestilentis matrem. Pestis siquidem, vt autor est *Galenus primo de different. febrium 4.* generatur putrefactione accensa circa cor. De Neapolitana Vrbe item fertur ob aeris salubritatem, & loci amœnitatem iam per annos quin-

quies centum à peste illæsam seruatam, vtinam per totidem annos, & multo plures à Deo seruetur. Et quamuis tempore strenuissimi Ducis Leutreci in Gallorum exercitu nonnulla contagionis seminaria viguerint, Vrbs tamen ab hoc morbo protsus fuit immunis.

E contra verò à Meridianis partibus, e quibus Australes venti spirant, incipit, vel saltem valde deseuit Pestis, & in Partes Occidentales tendere solet. Quod testimonio *Plinij lib. 7. cap. 50.* & experimento ipso satis probatur. Idem optimè obseruauit Marthæus Villanus in descriptione suæ pestis. Scribit enim sequentia verba. *E venendo di tempo in tempo verso Ponente comprese la Sardigna, e la Corsica, e l'altre Isole di questo Mare, e dall'altra parte, ch'è detta Arabia per montagne appartenenti diverso Ponente stendendosi à mezzo giorno con più aspro assalimento, che sotto le parti Settentrionali.*

PROBLEMA XIII.

Pisces à Peste Num sint immunes.



EX animantibus omnia Pesti subiecta præter Pisces, quos *Aristoteles lib. 8. de hist. animalium capite decimo* ab omni cōtagio exemit. Quod dictum non caret difficultate, tum quia Pisces facilè putrescant, & in nobis pestem gignant, ideo Pestilenti tempore etiam in quadragesima publico edicto vetantur, tum quia Pisces tam maritimos, quam fluuiales interdum ægrotare concedat eodē loco Aristoteles. Ergo si possunt ægrotare; poterunt etiam pestiferam labem contrahere, tum quia aquæ venenatos pisces Serpentes, Crocodrillos, Dracones contineant, ergo intra aquas gigni potest venenum, sed pestis nil aliud est quam naturale venenum ergo.

Nihilominus si de vera peste, quæ ex aeris putredine oritur, sit sermo, vera dixit Aristoteles. Nam cum pisces careant pulmone, aerem attrahere nequeunt. Tanto magis quia neq; intimas aquæ partes aer pestilens penetrare potest, sed solum eandem in superficie tangit. Cum ergo aer sit communis pestis causa, quæ plures eodem morbo in eadem regione afficit, ideo defectu respirationis Pisces à Peste fiunt immunes, non tamen à venenatis qualitatibus, veluti rationes factæ conuincere videntur.

PROBLEMA XIIII.

Cadauera peste extincta Num ab animantibus carniuoris attingantur, vel potius ab eis aufugiant.



NEC feras, nec canes, nec rapaces aues ad cadauera peste extincta accedere, multi graues scriptores tradidere. Inprimis *Liuius Decade 1. lib. 1. Cadauera* inquit *intacta a canibus & vulturibus tabes absumebat.* Quo loco tradit etiam nec illo, nec priori anno vllum Vulturium in illa regione apparuisse, quod aeri cedat pestilenti: idem obseruauit *Ouidius lib. 7. Metamorphoseon* loquens de peste quam describit,

Mira loquar, non illa canes, auidæq; volucres,
Non cani tetigere lupi, dilapsa liquescunt
Afflatusq, nocent, & agunt contagia latè.

Idem

Idem decantauit Lucretius lib. 6. de pestilentia.

Multaq; humi cum inhumata iacerent corpora, supra
Corporibus, tamen alituum genus, atq; ferarum,
Aut procul absiliebat, vt acrem exiret odorem
Aut vbi gustarat, languebat morte propinqua.

Ex quibus verbis deducitur aues odoratu presentire pestilens venenum sibi infestum, ideo fugere.

Pari modo veneno necatos a feris, & quibusuis carniuoris animantibus intactos relinqui auctor est *Plinius lib. 2. cap. 63.* cuius rei duplicem reddit rationem *Mercurialis* allato etiam hoc Plinij testimonio, *lib. 1. de venenis cap. 16.* Prior est quia venena siue calida, siue frigida sint congelant, & exsiccant dulcem illam humiditatem, qua feræ delectatæ solent prosequi cadauera. Secunda ratio est quia ab huiusmodi cadaueribus profluunt quidam praui & insuaues halitus, quos vbi carniuora sentiunt, ab eis aufugiunt.

Nihilominus interdum oppositum in pestilentibus accidisse euidentibus argumentis demonstrare possumus: inprimis *Thucydides de peste Athaniensi* quamuis referat aues & quadrupedes carnes insepultas hominum non attigisse subdit tamen *vel si gustassent moriebantur*. Quod idem eisdem verbis dixit vbi supra *Lucretius*: ergo supponunt isti Auctores non esse adeo certum & infallibile cadauera pestilenta non attingi ab Auibus, vel quadrapedibus, sed si ex esu illorum moriebantur, supponitur ea semel saltem degustasse. Secundo affero testimonium *Ioannis Grilloty Societatis Iesu de peste lugdunensi anni* 1628. *cap.* 5. vbi hæc fatur. *Piget eloqui Ianuario vertente aliquot cadauera in agro confluentino inter virgulta inuenta a coruis, & magnis auibus canibusq; fœdum in modum lacerata, cum aliquot menses insepulta iacuissent, sed & intempesta nocte fellium agmina ad muros confluebant, horrendisq; clamoribus omnia complebant, atq; adeo in agro visus non semel canis molossi speciem humum refodiens, vt cadaueribus vesceretur, & quamuis non pauci insidias tetenderint, vt eminus glande percuterent, omnem conatum elusit; in suburbio vltra Pontem Rhodani feruntur passi humana carne aliquot canes, qui rabie correpti asellos admorsos eodem uenena infecerunt; q̃ furentes fistula perempti sunt*. Idem in Vrbe Panormitana accidisse parte 10. cap. 2. num. 12. dictum fuit, vbi etiam canes publico edicto interfecti omnes: in Vrbe Florentina eodem Decurionum statuto iussum, vel occidi, vel intra proprias ędes vinculis custodiri, ne ad dilanianda cadauera, ad quę non semel iam accesserant, reuerterentur. Idem fere tempore Maximini accidisse testatur Eusebius libro 9. cap. 7. Historiæ Ecclesiasticæ vbi hæc habet, *iam uerò nonnulli extincti canum laniatus ac præda facti sunt, ob quam causam, qui adhuc erant superstites ad canes interimendos se conuerterunt, timore quodam percussi, ne insana rabie furentes homines etiam viuos deuorarent.*

PROBLEMA XV.

Pestilentia An bis eundem hominem corripiat.



Estilentię morbo neminem bis affici tum experimento tum ratione naturali confirmatum volunt permulti. Adnotauit id Thucydides de peste Atheniensi his verbis. *Magis illi qui euaserant, & morientem, & laborantem miserabantur tum quia malum ante experti cognascerent, tum quòd ipsi iam in tuto essent: bis enim eundem hominem morbus non ita corripiebat, ut interficerent. Et beati ab alys dicebantur, & ipsi subito gaudio elati etiam in sequens tempus spem quandam leuem habebant, se neq; ab ullo alio morbo amplius interfectum iri*. Procopius quoq; de bello Persico lib. 2.

narrat, pestem quæ in Vrbe Constantinopolitana grassabatur, eadem corpora nō bis repetijsse. Ratione etiam eadem sententia roboratur, tum quia qui pestem euaserunt, puriora habent corpora, virtutes fortes, expulso & euacuato a natura noxio humore, ex quo pestis generatur, tum quia nulla est validior ratio, cur Vespillones inter agmina cadauerum illæsi seruentur, nisi quia isti perprius pestilentia laborauerant, & ideo eodem morbo amplius non tentantur, tum quia si quæ exempla afferuntur aliquorum, qui sanati denuò fuerint infecti, isti non erant perfectè sanati, Postremò sufficit, si doctrina Thucydidis sit vt in pluribus vera, quāuis ob peculiares circumstantias quandoq; oppositum euenisse fateantur.

Nihilominus contraria sententia mihi videtur multo verior, & indubitata, siquidem multo plura exempla adduci possunt eorum, qui post incolumitatem ad idem morbi pestilentis genus reuersi sunt, quam eorum, quos idem morbus bis non inuaserit. Scribit enim *Euagrius lib. 4. Ecclesiast. historia cap. 28.* hęc verba *Fuerunt etiam interdum, ut qui semel atq; iterum ab hoc morbo correpti euasissent, rursus eodem oppressi interirent.* Duo indem exempla oculatus testis retulit *Marsilius Ficinus in suo Antidoto Epidemico cap.* 14. Plura alia congessit Philippus Ingrassias de peste Panormitana cap. 25. & omnes de peste scribentes similes producunt euentus, quos nos etiam in hac peste Florentina non semel in pluribus experimento cognouimus, & præsertim in Petro Martyre Presbytero, & Parocho Ecclesię Collegialis S. Fridiani, Sacramentis ministrandis exposito, qui semel perfectè a peste liberatus, iterum quoq; infectus fuit, & iterum sanatus. Longumq; esset casus omnes tum hic tum alibi occurrentes longa velle narratione recensere.

Deinde argumentor ratione. Positis eisdem causis ponuntur ijdem effectus, cur ergo stante eadem cœli noxia influentia, permanente eodem corporis temperamento, aeris infectione, pestilentium contactu, nō sequetur idem pestis morbus? Rogo veneno exteriori semel læsus, nonne bis & decies nisi diu assuetus ab infantia esset, offendi eodem potest. Pestis quid est nisi internum venenum, vel ab exteriori fomite intus attractum, vel in humano corpore procreatum. Item a quacunq; alia ægritudine semel liberatus nonne ad eandem redire potest. Vnde ergo priuilegium istud vsurpauit sibi pestilens morbus, vt eundem hominem bis non inuadat? Cum pestis ab accensa humorum putrefactione gignatur, cur liberatus a peste, spirantibus Anstralibus ventis per diuturnum tempus, comedens putridos terræ fructus, cum tabe morbidis diù versans, eodem morbo infici non poterit? Ego sane rationem huius naturalem non assequor;

Postremò si sanatus perfectè a peste non amplius eodē coinquinatur, vel id habit solum durante eadem pestilentia, vel etiam pro quacunq; alia succedente: hoc Secundum dici non potest, quia coaceruata post annos multos putrida pestis materia in vno corpore ad pestem affecto, reuoluente item alia noxia cœli constellatione, fieri nequit quin morbus iste in tali corpore non procreetur. Neq; primū aptè dici potest, quia cum pestis per triennium, & multo maius tempus, vt dicemus, vigere in aliqua regione soleat, dubium non est, quin toto hoc tempore, eisdem causis influentibus, idem morbus ex noua materia collecta non possit reuiuiscere. Quod enim dicebatur redire non posse, euacuato per bubones, & carbunculos noxia materia, hoc sanè difficultatem non euacuat: tum quia hoc cōmune est omnibus morbis, quorum materia ante sanitatem euacuari debet; quæ semel ab aliquo corpore explosa, noua in eodem gigni etiam potest, tum quia an tota materia fuerit, vel non fuerit explosa incerta res est. Non ergo Vespillones, non alij ministri, non Athenienses semel peste affecti, post primam acceptam incolumitatem, ita tuti esse poterant, vt ab omni alia peste liberi euasissent. Deinde si hęc fuit proprietas quædam Atheniensis pestis, vt bis eundem non corriperet, expulsa omni pestis materia ab humano corpore, id sanè non est ad omnes alias pestilentias, & ad maiorem hominum hoc morbo correptorum partem contra

mani-

manifeſta experimenta extendendum, ex quibus omnibus haud cuilibet difficilè erit oppoſita argumenta infringere.

PROBLEMA XVI.

Robuſtiores cur præ ceteris peſte proſtrati.



Iratus non ſemel ſum in præterita peſtilentia, cur fera hæc peſſima poſthabitis ſenibus, debilibus, ac infirma valetudine, in iuuenes, vel fortiores, ac robuſtiores viros vt plurimum inuaderit. Cauſam ſciſcitatus, eam tandem legi apud Marſilium Ficinũ in ſuo epidemico Antidoto cap. 24. vbi ſic diſcurrit. *Nulli confidendum eſt in hoc quòd ceteris ſit fortior, & magis ſanus, quoniam uenenum ita fortes interimit, ut debiles: immò uenenum iſtud plus quam reliquos offendit ſanguineos, atq; robuſtos, eo quòd aperta ſunt illis pectoris uiæ, habent & cor ualde calidum, & humidum; ideo cordis ipſa caliditas, per quam cito ſuccenditur, & inflammatur, confeſtim putrefactioni ſubeſt humiditas, in quam uenenum conuertitur: quippe ut quanto plus in uaſe uini, et quanto potentius, tanto etiam plus, atq; mordacius uertitur acetum, ſic potens uenenum tanto quidem abundantius, quanto calidior erit in pectore ſanguis; quandoquidem ſanguis fit ipſe uenenum perquamfaciliter, paruoq; ipſius contactu tranſmutatur ad idem: conuertunt enim ſe alterutrũ contacta inuicem partes ad uenenũ* &c. Hęc Marſilius Ficinus.

Alia ratio huius rei eſſe poteſt, quòd robuſtiores leuibus morbis facilè reſiſtunt, ideo conceruatur in iſtis magna noxiæ materiæ copia, cui tandem naturalis virtus ſuccumbit, & ob hanc cauſam quò aliqui viribus pollent, eo acerbiores patiuntur morbos, maioraq; vitæ pericula ſubeunt. At viribus debiliores, facilè quidem infirmantur, ſed morbi etiam inuadentes leuiores ſunt, ideo facilè curari, & reparari poſſunt, & cum frequentius morbis laborent, natura foras noxios humores expellit, conſequenter etiam maximam morborum quandoq; in aliqua regione ſerpentium vim magis quam robuſti euadunt.

PROBLEMA XVII.

Bubones cur in inguine & ſub axillis frequentius appareant.



N quia partes iſtæ prę ceteris molliores, & humidiores venenati tumoris, qui ex humido corruptionis parente promanat, aptiores ſunt ſedes. An quia prædictę partes tum humidiores, tum calidiores ſunt in exceſſu, mordacemq; continent ardorem, proportionatam cum humido corrupto peſtis materiam. An potius quia peſtiferum venenum, ne præcordia occupet, natura ab intimis viſceribus, ac præcipuis viuentis partibus propellit, ac ad infimas detrudit, inguina verò cum proximiora ſint, facillimè omnium hanc materiam ſuſcipiunt, quæ etiam cum ſit viſcoſa & craſſa ſuo pondere, depulſa etiam a natura, deorſum fertur. His accedit maximam eſſe inter thoracem & inguinaria ſympathiam & conſenſum, ex quo fit peſtiferam materiam in Thorace receptam facilè ad inguinaria confluere. Iſtæ igitur poſſunt eſſe congruæ meæ ſententia rationes, cur frequentius Bubones in inguinibus fiant, interdum verò ſed rarius peſtilens vapor intus incluſus ſurſum petit, caput & cor aggreditur, & tunc natura per alias partes illum expellere conatur. Si cor

inuadit,

inuadit, illum ad axillas & alias apertiores vias deijcit, si caput, ad aures, vel ad collum reijcit: quandoq; in gutture visi sunt carbones pestilentes, vt de anno 1575. in Tridentina Vrbe teste *Michaele Mercato cap. 2. de pestis instructione* non semel in oculis, vt sub Maximino Tyranno, quemadmodum referunt *Eusebius hist. Ecclesiastica lib. 9. cap. 6. Nicephorus cap. 22. et 23.*

Pestilens carbo quo minor eo deterior, ob defectum expultricis facultatis, & materiæ copiam, quæ interiora rursus petens cor veneno necat: ideo cum his carbonibus ægri interdum pereunt 2.3. vel 4. die. Quo verò plures sunt & latiores, vel per totum corpus diffusi, eo magis vitam pollicentur, signum enim est naturam veneno interiori non parum exoneratam fuisse.

Notandum verò est, etiam regnante pestilentia, interdum in inguine procreari bubones, vel carbones non pestilentes, vt his tribus annis in Vrbe & ditione Florentina sępe accidit, & idem suo tempore contigisse testatur *Mercurialis de pestilentia cap.* 27. vbi dat regulam distinguendi bubones pestilentes a non pestilentibus. Nam pestilentes inquit febrim gignunt, & sæuissima accidentia; fiunt deliria, vomitus, vrinę turbidæ, vigiliæ, sternutationes, thusses, stomachi cruciatus, pluraq; alia symptomata de quibus agetur problemate 31. At bubones non pestilentes febrim non procreant, vel non nisi diariam, nec minus concomitantia habent prædicta accidentia.

Obseruanda etiam est qualitas & color tumoris. Si quidem tumor pestilens propter humoris crassitiem est durus, in parte infima propter incendium est rubeus, in media propter maiorem ardorem exsiccantem est niger, veluti ob eandem rationem nigri sunt carbones in suprema siue in apice propter maximum incendium & vstionem apparet vesica cum maximo dolore & cruciatu. De quibus omnibus necnō de eiusdē curatione legendus est idē Hieronymus *Mercurialis cap. 28. 29. et 30. Fallopius in suo tract. de tumoribus cap. 8. de bubone pestilenti.*

Tertio obseruandum est, hanc esse Bubonis pestilentis conditionem, longo medicorum experimento comprobatam, vt plerunq; inter quartum diem, sæpe sæpius in sexto non semel intra nonum interficiat. Qui verò nonum diem euadunt, pauci moriuntur; quamuis in longiores ac molestos morbos frequenter desinant.

PROBLEMA XVIII.

Maculæ pestiferæ cur post mortem interdum appareant, prius inuisæ.



Icut qui hausto veneno obeunt, interni vicus signa siue maculas post obitum in cute præbent, ita peste prostrati pestiferis maculis coinquinantur, quæ prius delitescebant. Huius rei plures reddit rationes *Mercurialis tract. de maculis pestiferis cap. 8.* quarū aliquas approbare nullo modo possumus, præsertim illam, qua docet extincto calore natiuo adhuc remanere in cadauere facultatem expultricem, a qua materia illa venenata foras propellitur. Quod probat auctoritate *Aristotelis lib. 3. de historia animalium cap. 11. et lib. 2. de generatione cap. 4.* docentis *in demortuis augeri vngues, et pilos*, non quidem vera actione augmētatiua, sed expulsione vaporum & fuliginum, qui simul conglutinanti pilos & vngues efficiunt, veluti docet Galenus in lib. de temperamentis, & in lib. de facultatibus naturalibus, ergo ex ijs habemus demortuis inesse expultricem facultatē, & abeunte anima aliquam vim ipsius animę licet exiguam remanere sicut recente sole & igne adhuc caloris aliquot signum experimur.

Verum

Verum si facultas expultrix insidet animæ, a qua pendet in esse & conseruari, quomodo credibile est abeunte anima remansisse in cadauere veram, & non fictam potentiam expultricem? Deinde si inter signa vitæ alicuius est expulsio, & motus, quomodo in demortuo remanet vitæ notio? Postremo & ad hominē. Si non remanet in cadauere potentia augmentatiua, retentiua, motiua, nutritiua cur expulsiua remanebit, cum omnes istę facultates eodem modo animam consequantur? Neq; vrget allata Aristotelis doctrina. Nam respondemus vngues & pilos in mortuis non augeri realiter, sed apparenter, quatenus carnes morbo & mortis pallore depressæ pilos & vngues longiores faciunt apparere.

Altera ratio ab eodem scriptore adducitur, quòd virtus retentiua in viuente tum bonos tum prauos humores inuicem permixtos validè retineat; qua facultate per animę recessū abeunte pestiferos illos humores sua fluxibilitate exterius faciat erumpere. Sed neq; in his doctissimo Philosopho assentimur tum quia in viuente expulsiua multo magis noxios propellit humores quam retineat retentiua; cum eadem sit anima omnium operationum commune principium, tum quia si per mortem abit retentiua cur non expulsiua vt supra argumentabamur? tum quia cessante retentiua non sequitur venenatā materiam ad cutim properare, sed in partibus infimis in quibus fixam sedem posuit, remanere, maxime cum materia illa sit viscosa & crassa.

Multo verior illa mihi Ratio probatur, quòd natura tum semper, tum maximè in extremis infensum vaporem pestilentem conetur a se viribus omnibus propellere: & licèt ob debilitatem vincatur, tamen materia iam commota, & quæ iam erat in via, ad cutim facilè depellitur. Accedit agitatis per mortis conflictum humoribus, tenuiores ad extremas partes repelli, viasq; facilè aperiri, per quas noxia materia pertransiens, carnem ad instar verberum commaculet, & coinquinet.

PROBLEMA XIX.

Cur maculæ pestiferæ in dorso, & pectore, non in facie conspiciantur.



CVR Pestiferę maculę in dorso, & pectore appareant facilis est Ratio. Siquidem pestilens humor teste *Galeno primò de differentiis febrium* precordia potissimum inuadit, cor autem quantum potest venenatam hanc materiam a se in proximas partes propellit, sed partes cordi proximiores sunt dorsum, & pectus, & ideo mirum non est, si partes huiusmodi commaculatæ quasi nigro, vel rubeo carbone conspiciantur. Sed cur in facie similiter non appareant, nulla hucusque efficax Ratio, mea quidē sententia, id suadet, nec quadruplicē illā causam a Doctissimo *Mercuriali cap. 7 tract. de maculis* allatam probo. Videmus enim materiam vennenatam ac pestiferam caput ascendere, dolores capitis maximos causare, inflammationes item oculorum, tusses, cur ergo vapor ille natura expellente non poterit per faciem erumpere? Accedit carbones pestiferos, vt supradiximus, conspici sub auribus, in oculis, in gutture ergo hic locum non habet cerebri frigiditas, aeris item ambientis, cum æstiuo tēpore possit esse calidissimus, nec item copia spirituum animalium in vultu, nec materiæ viscositas, cum his omnibus rationibus non obstantibus sub auribus & oculis pestiferi carbones gignantur. Postremò videmus morbiliones, & variolas faciem magis, quam ceteras corporis partes petere & illam maculare cur ergo

eundem effectum non præstant pestilentes maculę, quarum materia ita in humano corpore ex feruido calore ebullit, & caput petit, sicut materia morbilionum. Ratio ergo petenda est ex naturæ debilitate & distantia loci in quo iacet materia febris pestilentis, qui locus sunt intimæ & profundæ corporis partes, in quibus natura victa, & prostrata a febri pestilenti non sine maxima difficultate expellere potest materiam illā ad partes remotissimas & superiores, & si id co netur, tametsi materia ab leuitatem caput ascendat, tamen ob virium debilitatem non potest sibi nouas vias per cutim faciei aperire, si enim id posset, euacuationibus huiusmodi facilè liberaretur.

PROBLEMA XX.

De signis futuræ Pestilentiæ in aliqua regione.



Nnum pestilentem plura prænuntiant, quorum aliqua a cœlis, alia ab elementis, alia ab animalibus vel volucribus petuntur. De quibus nonnulla videri possunt apud Hieronymū Fracastorium lib. 1. de contagione cap. 13. Iacobum Soldum Florentinum Ordinis Seruorum in suo contra pestem Antidoto cap. 5. & alios Auctores.

Primum ac præcipuum futurę pestis inditium, vel potius causa est congressus, siue coniunctio Saturni cum Ioue in signis aereis; qualis accidit in peste illa de anno 1346. quæ tertiam hominum partem necauit, quo anno, vt scribit Matthæus Villanus in principio suæ historiæ, aderat coniunctio Saturni cum Ioue in Aquario, ex qua tam funesti ac luctuosi effectus prodierunt. Pari ferè modo infensa est coniūctio Saturni cum Marte in signis aereis maxime libra, Aquario, & Scorpione, præsente Sole aut Luna, qualem experimur hoc anno 1631. quo vniuersa Gallia Cisalpina, Etruria, ac maior Italiæ pars morbis pestilentibus laborarunt. Tanta verò est Saturni vis malefica, vt in Syria, vbi maximè dominatur, septimo quoq; anno, peracto periodo pestis reuertatur.

Secundum futuræ pestis inditium & causa sunt cometę formā ignitæ columnæ ræpresentantes, vel etiam stellæ cadentes, vel per aerem excurrentes inter finē æstatis & initium Autumni. Etenim impressiones istæ ignitę hoc tempore excurrentes veneficarum influentiarum dominium præseferunt, quæ quidem humores valde alterant, morbiliones, pullulas, & tumores, siue bubones in humanis corporibus procreant, vel etiam aerem inficiunt, vt post Arabes tradit *Albertus Magnus lib. 1. metheorarum.*

Neq; obstat ignitas istas impressiones ob calorem & siccitatem potius pesti, quæ ex putredine in gradu supremo nascitur, aduersari. Siquidem huiusmodi qualitates non manet in suo esse connaturali, sed sedē habent in materia combusta, & ideo malefica & corporibus humanis valde noxia. Sicut enim fulgur liquores, quos tangit, reddit pestiferos vt experimento & ratione allata probat Christophorus Iauellus in tract. Meterologico, agens de fulgure, ita huiusmodi impressiones ignitæ ob combustam materiam aerē inficiunt, qui attractus, cōcurrentibus multis alijs causis, in corporibus præparatis generat venenum

Tertium Pestis inditium sunt crebriores & insueti Meridiolanes vel subsolani flatus præsertim mense Decembri, qui cum calidi & humidi valde sint pestem facilè alijs concurrentibus inducunt. Sumitur idem ex Aristotile qui sec. 1. problemate 21. Scribit tunc annum fieri pestilentem cum solis calor multos vapores e terra tollit, & sit annus calidus & humidus in excessu, qui est annus Austrinus pestilentiæ Pater; a cuius flatu cum Varro Cocyram liberasset, eandem Vrbem a

peste etiam reuocauit. Quod idem præstitit Empedocles obstructis quibusdam montibus, per quos Australis ventus transibat,ex quo Agrigentum ab hoc morbo eripuit. Similiter alius omnes suæ domus fenestras quæ Austrum respiciebant, pariete conclusit, apertis alijs fentemtrionem versus, ob quam causam immunem se suamq;familiam totâ a grassante peste custodiuit, interdum tamen etiā siccitate regnante factæ sunt pestilentiæ. Sic *Liuius lib.* 1. *Decadis quartæ* refert Romæ pestem esse factam propter magnam siccitatem: & idem obseruauit *Nicephorus Calistus lib.* 15. *cap.* 10. accidisse ob siccitatem pestem quandam, in qua homines inflammatis oculis primò visum amittebant, deinde accedēte tussi peribant; cui nullum humanum remedium salutare erant, & *Virgilius lib.* 3. *Aeneiodos* tradit ob calidam & siccam intemperiem ortam fuisse in Creta pestilentiam. Ceterum vt rectè obseruauit *Mercurialis Lect. de pestilentia cap.* 8. *in fine*, huiusmodi pestes non oriebantur ex causa siccitatis sola, sed ex penuria annonę vel ex fructibus terræ vitiatis, vel ex carne Taurina, vel ob bella vel terræmotus vel etiā ex ignitis cometis, qui vt dictum est,ob materiam combustam, aerem vitiabant. Itaque constitutio anni calida & sicca non est signum per se futuræ pestis, sed bene calida & humida magis quam frigida & humida. Calor enim alterat humidum & in putredinē illud vertit, vt videmus in carnibus,quæ ęstiuo tēpore facilè putrescūt.

Quartum pestis futuræ signum est annus à ventis silens. Aer enim densibus nubibus in hyeme multū diuq; opertus, qui in pluuias minime resoluitur, futurā indicat in vere pestilentiam, dummodo idem tempus per Decembrem, Ianuarium, & Februarium nullis cadentibus pluuijs consistat. Sicut enim aer resolutione nubium in aquam expurgatur, ita diuturno operimento nubium,silentibus ventis, inficitur. Talis fuit constitutio anni illius, in qua viguit Atheniensis pestis, in qua visus fuit annus austrinus seu calidus, a ventis omnimodè silens, veluti testatum reliquit *Hippocrates sec.* 3. *tertij Epid.*

Quintum futuræ pestilentię signū est caliditas, & siccitas veris insolita,& inordinata, quæ suis careat imbribus,præsertim Meridiolanibus ventis tunc frequentius spirantibus, vel etiam magna temporis inconstantia, itaut per dies octo exēplit gratia Serenitatem magnam ostendat, per alios dies octo densa nubila sustineat, atq; ita successiuè eadem varietas inspiciatur. Idem iudicium ferendū est, si eadem die eadem inconstantia per multas hebdomadas continuetur. Hæc enim inconstantia temporis maximam præsefert vaporū copiam per aerem diffusam, quæ calore solari dissipari nequit. Deinde istæ maximæ varietates sunt transitus ab extremo ad extremum sine medio contra naturæ ordinem, qui est ab extremo ad extremum per medium, vt constat in successione hyemis cum vere, veris cum æstate, & æstatis cum hyeme,idcirco non seruato medio insignes, & noxiæ admodum in humanis corporibus inducuntur alterationes.

Sextum futuræ pestis signum est dierum caliditas, & frigiditas noctium immoderata. Hęc enim pugna frigoris nocturni cum calore diurno, qui actione antiparistesi intra præcordia recluditur, maximam affert humanis corporibus lęsionem, itaut quietem noctu capere nequeant, & præfocari videantur. Tales siquidem transitus repentinos ab extremo ad extremum sine medio, idest a frigore ad calorem, & a calore ad frigus nequit humana natura sustinere. Præcessit eiusmodi signum in peste illa, quæ legitur apud *Liuium Decade prima libro quinto,* quam dicit ortam ex cœli intemperie raptim mutatione in contrarium facta.

Septimum futuræ pestilentiæ signum, quod a duobus præcedentibus non est valde dissimile, sed potius additamentum,est inuersio ordinis, siue qualitatū quatuor anni temporum,itaut ęstas frigida, & humida noxios, & frequentes imbres Hyems siccitatem, & calorem ferant. Ver calidum & siccum, Autumnus calidus, & humidus conspiciatur. Nullum futuræ pestilentiæ inditium isto certius dici potest.

Octauum futurę Pestilentiæ signum est maxima copia locustarum, vermium, ranarum, & similium animalium, quę ex Putri nascuntur. Hæc enim nimiam aeris humiditatem, & putrefactionem indicat; qui attractus intra humana corpora, humores pariter putrefacit, & corrumpit. Quod signum in quadam peste testatur Gentilis se obseruasse, in qua ranę quędam paruulæ caudatæ, veluti in plaga à Deo Pharaoni cœlitus inflicta factum est, vbique ferè oriebantur. Celeberrima etiam illa est in AEthyopia ex locustarum in litore putrescentium copia creata.

Nonum Pestis signum est continuus, & valde immoderatus pluuiarum impetus, præsertim cum fluuiorum inundatione diu perdurante, ex quibus putridi vaporis enascuntur, quæ pestilentiam inducunt. Tales fuit origo illius Pestis, quā recitat Blondus, & alij quamplures, testantes ex Tyberis inundatione ortam pestilentiam, qua contactus Pelagius Romanus Pontifex obijt. Hanc ob causam Pythonem, horribilem Draconem, post diluuium ex nimia terræ humiditate enatum, atq; aureis Apollinis telis postea confixum *Ouidius lib. 1. Metamorphoseos* meritò effinxit. Quibus rerum tegmentis ex aquarum inundatione super vniuersā terram, humidum corruptionis, & pestis parens solaribus radijs exsiccatum adūbrauit.

Decimum Pestis futurę inditium non leue est canum frequens rabies. Quod annotauit Lucretius lib. 6 Atheniensem pestem describens vbi sic canit.

Imprimis fida canum vis
Stratis vijs animam ponebat in omnibus ægram
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.

Idem obseruatū lego apud *Alexandrum Benedictum lib. 1. de febre Pestilenti cap. 5.* vbi sic loquitur. *Canes quandoque sana rabie acti pestem portendunt, qui Homero teste cum alijs nonnullis animantibus prius Pestilentia corripiuntur, quæ postea ad homines pertransit.* Idem suadetur ratione, quia canum rabies venenum est, & non minus contagiosus morbus, quam Pestis, ideo e canina rabie ad pestem facilis est transitus.

Decimumprimum Pestilētiæ futuræ inditium est luporum in oppida vel vrbes Ingressus, & damna inferentium. Quod inter Pestis signa enumerat *Andreas Gallus in fasciculo de Peste, & Prosper Borgatius in suo tractatu de Peste, Pierius Valerianus lib. 11. agens de lupo.* Rationem naturalem non assequor, cum lupi ex famo sola ad ingressum oppidorum, vel Vrbium moueri possint, non ex veneno intus incluso; nisi hoc venenum famem appelles. Nihilominus hoc portentum passim traditur ab auctoribus. Quod etiam euenit in quadam Peste sub Federico II. de qua Sigonius lib. 17. de Regno Italiæ, inter alia signa, Lupos quoq; enumerat his verbis: *Lupi etiam Vrbes ingressi capti, atq; suspensi sunt.* Idem prodigium accidisse in hac ditione Florentina, ex fide dignis accepi, qui mihi retulerunt ante ortam præsentē pestem Lupos turmatim Pratolinum & alia oppida ingressos, qui etiam damna aliqua animalibus & pueris intulerunt.

Decimūsecundū futuræ vel potius præsentis pestilētiæ signū est vulturum, & auium fuga ab aliqua regione, quę quidem instincto quodam naturali, pestilentem aerem præsentientes ad alias regiones diuertunt. Sic *Marsilius Ficinus in suo Antidoto Epidemico cap. 2.* vbi scribit *vulgo dici solet vultures seu milnos pestilentiali cedere aeri, & quæ loca huiusmodi tenent milui, pestifero non sub esse aeri:* idem scriptum reliquit *Laurentius Loubertus in suo opusculo de peste cap. 5.* vbi sic scribit. *Id enim obseruatione constat, vultures pestilenti aeri cedere; ut certum sit inditium, quæ loca teneant vultures, infecto aeri subiecta non esse.*

Decimumtertium signum futuræ pestilentiæ est flatus ventorum ab ea regione, in qua Pestis grassatur, etiam si remotissima & trans mare constituta. Sic *Hieronymus Fracastorius* in abditis naturæ indagandis nemini secundus hoc monitum

reliquit

reliquit *lib. 1. de contagione cap. 31.* vbi sic loquitur: *Tum verò sibi maximè cauendū erit, cum ventos quosdam fueris conspicatus ex ea regione proferri, vbi Pestis grassetur &c.* Siquidem Perplures Pestilentias Atheniensem Romanā Venetā a flatu ventorū ex Aethyopia Babylonia, Schiauonia originem habuisse pluribus scriptorum testimonijs *Fabius Paulinus* vir sanè eruditissimus & disertissimus *lib. 1. in Thucydidis narrationem fol. mihi 149. & 150.* comprobauit.

Annus præcedens & subsequens pestem maximè salubres sunt, quemadmodum experimento Medici cognouerunt, & inter ceteros *Hieronymus Rubeus lib. 11. historia Rauēnatis* scriptum reliquit, vbi verò in aliqua regione vera Pestis viget, morbi omnes in Pestem conuertuntur: sicut contra cum alij a Peste morbi homines corripiunt in eadem regione, tunc Pestem vires suas remittere inditium est, quemadmodum obseruauit *Marsilius Ficinus in suo Epidemico Antidoto cap. 4.* & idem nos in hac Vrbe experimento cognouimus.

PROBLEMA XXI.

De Pestilentiæ causis. Agitur An & quomodo aer tempore pestis putrescat.



Pestis causa triplex. Supernaturalis, artificialis, Naturalis. Supernaturalis Deus, Artificialis bonus, & malus Angelus, necnō humana malitia: De quibus in apparatu ad hunc tractatum satis disseruimus. Omnes enim isti tres per artem operātur, applicādo actiua passiuis. Naturalis duplex externa & interna. Interna duplex, venenum ex putridis humoribus intus genitum, vt problemate 4. fusè probauimus, & præparatio humorū ad exterius venenum facilè recipiendum. Externa duplex remota & proxima. Remota est cœlum, seu noxia veneficorum planetarum influentia, quam explicauimus præcedenti problemate. Proxima ac præcipua est aer vitiatus a pessimis aquæ vel terræ inquinamentis, a ventis pestem e longinquis & infectis regionibus ad sanas & integras deferentibus, & multo magis ex anni constitutione Austrina, sine pluuia, silentibus alijs ventis. De quibus in præcedentibus actum est, quæ hic non putamus iteranda. Solum hic omittenda non est communis difficultas, quam omnes, qui de peste scripserunt, exagitarunt An aer putrefactioni subdatur, & si putrescit, an in solis accidentibus humiditatis, & caloris, vel etiam occultis qualitatibus, & in ipsa elementi substantia. Quod aer putrescere nequeat docuit *Aristoteles sectione 25. problemate 19.* vbi inquit *neque aerem, neque ignem putrescere*. Ceterum Aristoteles loquitur de suprema aeris regione propinquissima sferæ ignis, quæ nulla suscipit aquæ, vel terræ inquinamenta: non vero negauit Aristoteles, aerem in infima & media regione inquinari, fœdari, & corrūpi non posse putridis terræ, vel aquæ vaporibus, ex corporibus insepultis, ex ventis Austrinis. Non enim pura sed impura manent apud nos elementa singula. Qua verò ratione aer in peste corrumpatur, an solis manifestis vel occultis qualitatibus, An etiam in substantia, ego sanè, quicquid alij dicant, omnibus his tribus modis aerem tempore pestilentiæ putrescere sentio cum *Fabio Paulino lib. 2. in Narrationem Thucydidis pag. mihi 508.* corrumpitur secundū manifestas qualitates, quæ ab extrinsicis causis iam enumeratis a naturali suo statu, quem aeris natura exigeret, deturbatur. Corrumpitur secundum occultam qualitatem scilicet recipiendo noxias maleficorū syderum influentias, quas nō nisi insipienter negare possumus; corrumpitur item secundum substantiam: cuius corruptionis manifesta illa ratio adduci potest, quòd forma substantialis nequit in illo subiecto

-C iii consi-

consistere, quod priuatur proprijs accidentibus, ac sibi connaturalibus. Hæc enim radix est omnium substantialium corruptionum, & generationum, vt corruptis proprijs accidentibus alicuius compositi, ipsum etiam intereat necesse est, cum fine suis proprietatibus compositum nequeat in rerum natura permanere. Quare detur hatis, & corruptis qualitatibus aeris formæ conuenientibus, aerem ipsum in aliud conuerti nempe in Putredinis formam, pestilentiæ tempore, caussis putredinis existentibus, fatendum est. Si enim humores humani corporis a tota substantia hoc tempore corrumpuntur, & in putredinem & venenum vertuntur, cur non etiam aer impurus ob tenuitatem, & raritatem, vitæq; negationē in idem venenum etiam substantialiter verti non poterit.

Sed cum dico aerem verti in venenum, non intelligo, vt fiat venenatus aer, sed vt fiat aptus ad generandum venenum in corporibus præparatis, vt bene aduertit *Hieronymus Mercurialis cap. 7. de Pestilentia*. Natura enim Prouida effecit vt venena in parua copia gignãtur, ne nimium humanæ & animali vitæ nocerent. At aer copiosissimus est, & cuilibet animali ad respirandum necessarius. Si ergo aer venenatus esset, omne animalium, & hominum genus de medio tolleret. Sufficit ergo Si tempore Pestis aer pestilens, & venenatus reddatur non secundum formam, sed secundum virtutem, quoniam in corporibus dispositis quendam inducit calorem præternaturalem naturali infestum, qui cum calorem ipsum natiuum alteret, prosternat, expugnet, hinc sequitur humani corporis humores priuatos custodia caloris natiui, confundi, alterari, computrescere, ad venenatæ formæ similitudinem accedere.

Multo plures extant Pestis naturales caufę de quibus partim egimus præcedente problemate: & par. 1. cap. 1. Partim agemus in sequentibus.

PROBLEMA XXII.

Teterrimo odore An Pestis inducatur.



Rosequamur nunc nonnullas alias Pestis caussas in particulari, scitu dignas, de quibus solum generali quadam ratione supra nos egimus, & à notioribus incipientes fœtidos odores pestis causam præcipuam constituimus, cuius rei frequentissima est apud historicos mentio. Nam in AEthyopia ex locustarum in littore putrescentium inquinamentis ortam acerbissimam pestem tradũt omnes, qui de illa scripserunt. Item in Babylonia in templo Apollinis aurea miræ vetustatis arca aperta exitialissimum halitum expirasse, atq; inde pestem emanasse, quæ vsq; ad Parthos perueniens acerbissima clade eos afflixit testatur *Mercurialis capite. 7. de Pestilentia* item regnante Marco Imperatore post direptum in Seleucia templum, & Apollinis simulacrum Romam delatum, milites Auidij Cassij quoddam angustum foramen inuenerunt, quo aperto spiritum grauissimum exalasse, ex quo pestis teterrima protinus creata, scribit Amianus Mercellinus. Adest etiam quoddam veneni genus, quod solo odore mortem inferr repentinã. Quod ex Matthiolo in lib. 6. Discoridis in proemio recitat *Fabius Paulinus libro 1. in Thucydis Historiam fol. mihi 120. in fine*, vbi narrat quendam Circumforaneum dedisse suo æmulo in foro Senensi olfaciendum Veronicum Florem, veneno ab eodem infectum, ex cuius olfactu repentina morte oppressus cecidit.

PRO-

PROBLEMA XXIII.

Auditu, & visu Pestis An contrahatur.



OLO Pestilentum aspectu sanos inquinatos fuisse ex historiarum monimentis suadetur. Scribit enim Augustinus Bucius in suo Opusculo de Peste cap. 2. hæc verba ipsissima. *Con si potente veneno, che sol mirando si contraheua il male.* Et idem non obscurè innuit Matthæus Villanus in descriptione illius omnium acerbissimæ Pestis, quæ vniuersum ferè orbem peruagata est, dum ita loquitur. *Auenne perche pare, che quest'a mortifera infettione s'appiccasse per la veduta, e per toccamenti, che come l'huomo, ò la femina, ò fanciulli si conosceuano malati di quella infirmità molti l'abbandonauano.* Clarius loquitur Guidus Cauliacius eandem pestem describens ijs verbis. *E fù di tanta contagiosità, specialmente quella, la qual fù col sputo di sangue, che non solamente stando, mà ancora esguerdando l'uno riceueua la malattia dell'altro.* Idem testatur in sua peste accidisse *Philippus Ingrassias de Peste Panormitana parte prima cap. 2.* scribens. *Con tale, e tanto veneno, che solamente guardando l'uno l'altro infettaua.*

Secundo roboratur eadem sententia auctoritate præclarissimorum Medicorum, vti Cardani lib. 1. de venenis cap. 2. vbi quinq; tradit modos, quibus contagium propagatur, & postremo loco enumerat visum. Item Hieronymi Fracastorij lib. de contagione Valariolæ quos sequitus Fabius Paulinus lib. 1. in Thucydidis narrationem pag. mihi 118. & 119. qui etiam ante nos supradicta testimonia historica collegerat.

Tertio suffragatur Ratio Philosophica. Siquidem ex oculis pestilentis emanant exitiales, & perniciosissimi visuales radij, vt tradit Fracastorius, vel tenuissimæ quędam exhalationes, vt sensit Cardanus, vel animalium spirituum spiritualiores partes, vt ego existimo, quæ ex fixo intuitu ad sanum prodeuntes eundem virtuali quodam contactu, veluti in fascinatione contingit, inficiunt.

Ac tandem hæc doctrina corroborari potest exemplo Basilisci, qui solo intuitu hominem enecat, quare si vicus eius speculo repercutiatur, a se ipso mortem accipit.

Quinimmò, quod mirabilius videtur, etiam solo auditu haustam luem narrat idem Ingrassias par. 1. cap. 7. his verbis. *A vista, & vdita haue qualche volta infettato come per l'historie si legge.* Et parte 2. cap. 5. inquit, *sicome sono quelli ch'infettano di distante, insino à tanto ch'al parlare, & à vista si pigli l'infettione.* Nec mirum: cum sonus loquentis ad audientem, vt melior scola docet, per vitiatum aerem realiter deferatur, & non per species intentionales.



PRO-

PROBLEMA XXIIII.

Imaginatio, & metus Num Pestem in humano corpore procreare valeant.



ANTA fertur esse facultatis imaginandi vis, & efficacia, vt admirandos, ac omnem pænè fidem excedentes effectus producat. Egerunt de istis non minus copiosè, quã eruditè *Auicennas par. 4. lib. 6. naturalium cap. 6. Picus Mirandulanus integris duobus libris, Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide* circa medium, & recentiores nonnulli. Quibus omnibus omissis, quãtum ad quæstionem nostram attinet, dubium esse non debet, vi sola imaginationis, & timoris pestem contrahere quem posse. Quam assertionẽ pluribus Doctorum testimonijs confirmauit *Fabius Paulinus lib. 1. in Thucydidis narrationem pag.* 123. ex quo nos etiam grauiora, nonnullis adiectis desumemus. Inprimis Franciscus a Sancto Nazario Iurisconsultus cap. 4. suæ de peste tractationis, causas illius enumerans, fortem imaginandi vim inter illas recenset his verbis. *Quandoque suboritur ex tristi imaginatione concomitata timore, nam spiritus tristis conturbat viscera, & casum facit imaginatio*. consensit *Iulius Palmerius Constantinus Medicus Parisiensis in lib. de morbis contagiosis* vbi sic scribit. *Futuræ pestis metum, atqi intentam cogitationem sæpe eam allicere profitemur, multosq, integre sanos illius solius terrore metuq; perculsos repente vitium sensisse testamur, ac non multo post e medio sublatos, nulla alia, vt mea fert opinio, ratione, quam quod vehemens, & intenta animi cogitatio atq; imaginatio vehemens dũ cor mirificè afficit, idipsum sæpe imprimat, atq; inurat, quod tantopere metuitur*. Nec dissensit *Philippus Ingrassias par. 2. cap. 8. de peste Panormitana*, vbi sic fatur. *Alcuni Scrittori hanno scritto non esser impossibile, si come per la paura di qualche animale arrabiato, si son veduti molti arrabbiare, parimente per lo timore della peste appestare giongendoui la profondissima imaginatione*. Eandem Sententiam amplectitur *Petrus Parisius in suo tractatu de peste cap. 9.* qui propterea testatur in Drepanensi pestilentia, timidos præsertim breui tẽpore hoc morbo oppressos sine febri, aut sine vllo signo interijsse, omnibus naturæ viribus solo pestis timore cadentibus. Idem confirmatur auctoritate *Hieronymi Mercurialis cap. 10. de pestilentia*, quo loco hęc habet. *Vnum præ cæteris est, quod humana corpora maximè disponit ad pestem recipiendam timor, quo fit vt corpora imbecilla reddita promptius à peste capiantur*. Ratio esse potest illa iam supra tacta, quia vis imaginandi fortis potest proprium corpus alterare, & seminaria contagionis non minus proprio corpori imprimere, quam mulier grauida in fœtu imprimat id cibi vel fructus genus, quod auidè optat, & quod maius est in eadem fœtus parte, quam ipsa de proprio corpore tangit.

Hinc deducitur tempore pestis amouendos esse ab intuitu funebris plaustri, quo cadauera efferuntur, vel à quocunq; alio pestilentium aspectu, omnes pueros, fœminas natura timidiores, viros maninconiços, quorum fortis imaginatio facit apparere, quod iam actu sit res, cuius similitudo in mente repræsentatur. Imaginatio enim sæpe casum facit. Abstinendum etiam est ab illis alloquijs, quæ metum aliquibus incutere possunt, veluti dum varij interitus huius vel illius sanguine, vel amicitia coniuncti recitantur, deponendę sunt hoc tempore tristes curę, omnesq; quantum possunt conari debent hilarem, & ab omni odio vel ira alienam vitam traducere.

Sed oritur hic alia dubitatio An vis imaginationis vnius valeat in alieno corpore pestem causare. In qua quæstione Auicenna, quem refert, & sequitur *Petrus Gregorius Tolosanus in syntagmate iuris lib. 34. cap. 11.* opinatur imaginationis efficaciam eò etiam peruenire, vt corpora extranea immutare valeat, & tale opus

esse

esse oculi fascinantis.

Quinimmò subdit Tholosanus sequentia verba. *Tanta fertur esse maleficorum improbitas, ut scelerata animi sui intenta imaginatione excitent materiam sui corporis corruptam, & venenosam, per quam primo oculi illorum inficiantur, postea circum-estus aer, & consequenter alia partes consequentis aeris usq; ad contiguum alijs aerem. quem si quis tam infectum traxerit respiratione, veneno inficitur, ut de intuitu Basilisci narrant, qui ea ratione solo visu enecat, & si virus eius speculo repercutiatur, a se ipso mortem accipit.*

Ceterum hæc sententia a Theologis, & Philosophis communiter exploditur, & mihi etiam valde displicet, eò quia facultas imaginandi est potentia immanēs, cuius operatio est ad intra non ad extra: Deinde anima in illo corpore operatur, quod animat, & viuificat, sed non viuificat corpus alienum ergo in alieno corpore nequit operari. Tertio si potest anima vi suæ imaginationis peste vel fascino lædere corpus alienum, ergo eadem vi imaginationis posset alienum corpus sanare, lætum, & hilare reddere, enutrire, augere, cum contrariorum eadē sit disciplina. Quarto imaginatio non immutat proprium corpus immediatè, sed mediatè, quatenus anima affecta qualitate rei imaginatæ excitat, & mouet alias potentias corporales, quæ omnes animæ, vt principalissimo principio omnium operationum viuentis subordinantur; sed corpus alienum non subordinatur animæ Petri ergo impossibile est animam extrinsica corpora immutare.

Nec me mouet veneficorum allata a Tholosano praxis: Siquidem id nos fabulosum existimamus, tum ob rationes allatas, tum maximè quia non est in potestate libera hominis vi imaginationis excitare putridam sui corporis materiam in venis, & alijs partibus inclusam, & illam trahere ad oculos, ac per illos aerem contiguum inficere. Quod si quandoq; id à veneficis fieret, non sola vi imaginandi, sed dæmonis virtute factum credimus.

PROBLEMA XXV.

Humana arte vel malitia An pestis quandoque inducatur.



Ilitare consilium est, obsidione imminente, venena aquis foris infundere, ex quibus milites contagione afficiantur: quē eundem effectū præstare solet gipsus farinæ permixtus. Venenis pestem immissam Refert *Liuius Decade p. lib. 8.* vbi narrat matronas ad centum septuaginta publico supplicio damnatas, quòd venena coquerent, ac eisdem Romanos ciues inficerēt, ac necarent: cuius mortalitatis cum causa prorsus ignoraretur, quædam ancilla criminis conscia rem totam Q. Fabio Maximo Ædili patefecit. Pariter *Seneca 2. de ira* meminit cuiusdam Pestilentiæ manufactæ, quam inter sui temporis calamitates deplorat.

Puluere item venenato vestibus iniecto importatam pestem narrat *Cardanus libro 18. de subtilitate*; nec non sapone pestilenti, qui calce, & macie ex putridis, & infectis vlceribus cadente conficiebatur, inductam pestem recitat *Philippus Ingrassias par. 1. cap. 5. de peste Panormitana*: Anno 1576. Peste Mediolani grassante, sed postea mitescente, acerbiorem a Vespillonibus auaritiæ causa effectam Acta Ecclesiæ Mediolanensis testantur, sed & nostra tempestate de anno 1628. & 1630. viros nonnullos flagitiosos ac veneficos ab efferata, & insaniente Lemani lacus Babylonia egressos *Lugdunenses ac Anecienses* æ lium postes, feras, limina venenato adipe, & puluere liniuisse, atq; hac arte ex inueterato in Catholicæ religionis professores odio pestem ad prædictas vrbes detulisse compertissimum est. Nec sine maxima animi cōmiseratione, & lacrymis enarrare hic pos

E sum

sum impiam, sacrilegam, ac detestabilem multorum virorum coniurationem, qua vnctorum, vel potius vnguentū congregationem vocabant, Mediolani anno præsenti 1631. deprehensam, qui venenato quodam vnguento portarum vectes, sacra tribunalia, sacræ mensæ cancellos, linteamina inungebant, pestilentoque puluere vestes in omni loco præsertim in publicis supplicationibus aspergebant, quibus dæmonum artibus breuissimo tempore Vrbem centeno milleno, & amplius ciuium numero expoliauit. Verum ex his duo Patriæ Proditores, quorum vnus tonsor erat, & sanis boni nominis comprehensi, fassi, damnati primum, vt dextera prope proprias ædes amputaretur, deinde per vias ad supplicium ducti ignito forcipe passim torquerentur, ac postea in consueto supplicij loco fæuioribus Rotæ cruciatibus dies suos miserabiliter explerent, solo penitus tonstrinæ æquata, ac in eiusdem loco columna, quæ infamis dicitur, ad perpetuam facti memoriam erecta. De eadem materia actum est a nobis in apparatu ad hunc tractatum, multa ibi dicta hic repetere additis nonnullis coacti sumus, tum quia ea omnia propriam hic sedem habent, tum quia Problemata ista non pauci cupiunt a reliquo volumine seiuncta promulgari.

PROBLEMA XXVI.

Qua anni parte oriatur, ac intereat Pestis.



ORTVS vt plurimum est a vere, vel ab Autumno, crebrius autem ab Autumno, quam à vere: cuius rei causam præbent subitæ crebræque permutationes a calore ad frigus, a sereno ad pluuiosum cœlum, quale Autumnali tempore experimur. Aer enim facto calore æstiuo subtilis humidas impressiones facilius recipit. Accedit corpora humana adueniente frigore Autumnali obstrui, & constipari, materia ad interiora recedente, consequenter ex obstructionibus, ac excrementis superfluis, quę tunc resolui, & euaporare difficile possunt, sequi humorum putrefactiones, præsertim accedente fructuum esu in magna quantitate, quam nobis Autumnale tempus liberaliter elargitur. Cur vero etiam vere, quod salubeṙrimum tempus est, Pestis haud semel ortum habuerit, causam refero in sanguinis humani commotionem, sole tūc Arietis signum petente, & vegetabilia omnia commouente, consequenter sanguis per id tempus commotus veneficas qualitates intus semisopitas excitat, quæ corrumpunt, vel noxias qualitates externi aeris intus facilius recipit, quæ pestem procreant.

A Estiuo tempore oriri quandoq; Pestem testatur Thucydidis historia, vbi pestem Atheniensem æstate originem habuisse suam refert: idem scripsit Galenus lib. 1. de differētijs febrium dicens Pestem Atheniensem ex æstate nimis calida in corporibus ad putredinem præparatis initium habuisse. Idem narrat Liuius lib. 37. vbi sic scribit. *Loco graui, & tempore anni (medium enim æstatis erat) adhuc insolito odore ingruere morbi vulgo maxime in remiges cœperunt.* Eodem tempore Vrbem Florentiam anno 1630. Pestis inuasit de mense scilicet Augusti; quę Autumnali tempore longius manauit, & hyemali postea acrius per totam fere Etruriam deſæuit.

Causa esse potest calor æstiuus; qui humores putrefacit in corporibus præparatis, meatus aperit, quibus aer noxius intrò susceptus pestem procreat.

Contagij interitus accidit sæuo hyeme, vel summo æstatis feruore; cū vtrunq; pellat humidum corruptionis, & putredinis pestilentis parens.

Nihilominus etiam intensum frigus potest ob antiparystesim pestem intendere.

re, augere, vel procreare, Quod ex historijs manifestum est. Siquidem Liuius lib. 5. refert pestem quandam ortam post hyemem valde gelidam, ac niuosam, adeout viæ clauderentur, & Tyberis esset glacie innauigabilis, & alia iterum pestis subsecuta est anno 1234. post Padum conglaciatum. Neq; hoc mirum alicui esse debet, siue quia tempore niuoso solet cum frigore dominari maxima humiditas corruptionis mater, siue quia teste Aristoteles sec. 1. prob. 29. hyemali tempore, & Autumnali febres ardentes magis quam æstiuo vrgere, & oriri solet, calore intus ab ambiente frigore occluso, qui si fit præternaturalis, ardentior factus, magis corpus infestat, & pestem etiam potest in præparatis corporibus generare.

Oriente vel Occidente Sole morbus iste magis defæuit quam alijs diei partibus, quamuis etiam circa mediam noctem quamplures e viuis tollere solebat; cuius euentus ratio ex prædominio humidi tunc vigente, mea quidem sententia, petenda est, & ideo in plenilunio magis quam alijs temporibus, ob humidiores impressiones pestis corripit, vel correptos interficit.

PROBLEMA XXVII.

De quantitate temporis, quo Pestis in aliqua Prouincia vigere solet.



Vamuis Cardanus libro 3. de subtilitate nullam pestem post triennium defæuire tradat, nihilominus tam ex veteribus, quã ex recẽtioribus historiarum monimentis compertissimum est, nullum definitum tempus illam seruare, sed modo per triennium, modo per quinquennium, modo per septemnium viguisse. Atq; vt extera exempla hic omittamus, ad domestica, de quibus parte decima capite primo egimus, lectorem remittimus, vbi inconstantem huius morbi ætatem, multiplicesq; Prothei facies licebit inspicere. Quinimmò etiam per annos quindecem perpetuo in aliqua regione debachatam Philostratus & Euagrius supra relatus testatum reliquerunt.

Vnde ergo talis varietas ac diuersitas petenda est? An quia putridus aer modo magis, modo minus lentè a Borealibus ventis exsiccatur, ac purificatur? An potius oritur ista varietas ex tardiori vel celeriori motu Martis, & Saturni, siue ex longiori vel breuiori maleficarum influentiarum in aliqua Prouincia, prædominio, ideo in Syria, vbi maximè Saturni vis dominatur, septimo quoq; anno peracta periodo morbus pestilens reuertitur.

Credo tamen triennio, vt plurimum maleficam constellationem dissolui, vt accidit in peste illa sub Clemente 7. quæ nonnisi post triennium interijt: item in illa, quæ in Vrbe Panormitana ab anno 1624. ad 1626 viguit: Rursus in hac postrema, quæ ab anno 1629. ad 1632. nonnullas Italiæ Prouincias, eisdem permanentibus contagionis seminarijs diuexauit.

Verum silentio hic pretereunda non est Pestis illa, ab omni ordinato naturaliũ causarum cursu remotissima, quæ per quinquaginta annos inter homines grassatus vniuersum terrarum orbẽ peruagata est, de qua Euagrius, cuius verba supra retulimus, quibus varios ac planè admirandos contagionis effectus prudens lector colligere poterit, qui vix in causas naturales, sed potius in diuinam voluntatem, ac supernaturalem prouidentiam refferri aptius debent.

PROBLEMA XXVIII.

De Quantitate temporis, quo perdurare solet fomes contagiosus in vestibus Sericis, lineis, aut laneis.



E hac materia actum est a nobis parte decima cap. 7. num. vltimo, sub titulo de supellectili comburenda, vel purganda, vbi exemplis, & testimonijs *Marsilij Ficini, & Antonij Benedicti* ostẽdimus contagionis seminaria etiam post trienniũ in laneo panno, nec non in culcitra latuisse, quæ excitata, & ab homine tacta peste infecerunt. Nec mirum. Nam si in corpore humano venenosa materia longiori tempore conseruatur, cum tamẽ calor vitalis illi semper aduersetur, quanto magis conseruari potest in corpore vitæ experte, quod minimè resistit, Veluti doctissime Philosophatur Hieronymus Mercurialis cap. 14. de Pestilentia. Porro in humano corpore venenum delitescere, mirabiles historiæ, quas probatissimi Scriptores approbarunt, confirmant.

In sinistra vena quendam morbum per duodecim annos latere, qui tandem in hydropen desinit, auctor est *Hippocrates libro de internis affectionibus*.

Dari quædam venena ita præparata, vt hausta ad tempus lædant idest solum post tres aut quatuor menses scribit *Theophrastus lib. 9. de historia plantarum cap. 16.* Venenum canis rabidi in corpore ab eodem vulnerato per 12. annos latens tandem erupisse testatur *Albertus Magnus lib. 7. de animalibus cap. 2.* quem sequitur *Mercurialis tract. de veneno canis rabidi cap. 9.* Quinimmò hoc veneni genus etiam per quinquaginta annos in humano corpore conseruatum, ac postea manifestatum referri ex testimonio oculato Alzarabij, præstantissimi inter Arabes Medici idem *Mercurialis cap. 14. de pestilentia problemate 2.* Ex his licet mihi suspicari, interdum non sufficere numerum dierum quadraginta ad experiendam alicuius sanitatem. Potest enim vicus longiori tẽpore latere tam in pannis, & culcitris, quam in humano corpore, vt probatum est.

PROBLEMA XXIX.

De sfera actiuitatis corporis Pestilentialis, hoc est ad quam distantiam agendo possit alios inficere.



OC Problema valde vtile in praxi esse potest, ex quo scire valemus, quot passibus ab infectis distantes tuti esse possimus. Pro cuius resolutione supponendum est ex omnibus mixtis corporibus exire circumcirca ferè in orbem corpuscula quędã insensibilia, vel attomos, quæ sunt partes subtiliores cuiuslibet mixti euaporabilis. Id clarè apparet in vino, cuius partes tenuiores cerebrum ascendunt, & absq; potu quandoq; inebriant. Idem videmus in fumo ignis, in floribus, fructibus, herbis, elemento terræ, & aquæ, quæ varias emittunt euaporationes: quarum causa est calor, qui rarefacit, atq; rarefactione separat partes densas à subtilibus. Eodem modo supponendum est ex corpore peste affecto vi interni caloris, & motus euaporare similia corpuscula tenuissima, noxia, & exitialia, quæ luem propinquis affudunt, & multo magis ex afflatu infecto aerem corrumpente, & vitiante idem morbus

enasci-

enascitur. Verum cum vnumquodque agens creatum, & finitum determinatam habeat suæ actiuitatis sferam, nec possit agere in distans nisi agendo per medium; idcirco de corpore Pestilenti inquirendum remanet, ad quam distantiam agere possit per medium aerem, ne nimia propinquitate sani inficiantur.

Ceterum licet hac in re nihil certi definire possimus, eò quia actionis elongatio ad maius, vel minus spatium, a maiori vel minori interna agentis virtute pendeat, consequenter ex maiori, vel minori humorum putrefactione huius vel illius pendebit maius, vel minus periculum contrahendi pestem; Nihilominus inutile prorsus non erit, hic referre, quæ Peritissimus scriptor in hac materia nobis tradidit. Philippus Ingrassias in suo opusculo materna lingua conscripto de Peste Panormitana cap. 12. docet distantiam quinquaginta passuum minorem, vel maiorem iuxta morbi atrocitatem constituere terminum non suspectum, sed tutissimum: verba præallegati Scriptoris sunt sequentia: *Di più la vera peste suole amorbare, & infettare per distanza non pare d'una, e forsi in due canne, come qualche volta accader suole, ma non già forsi di cinquanta passi più, o meno secondo la grandezza, & atrocità del male*;

Obseruandum etiam valde est, nè pestilens aer vento flante, & si valde distās ab ægro ad sanum, qui cum illo alloquitur, deferatur; constat enim ex longissimis, & remotissimis Prouincijs pestem ventorum impetu in alienas oras delatā. Nam ex mortuis insepultis, qui erant in terra AEthyopiæ, ventorum flatu Athenienses infectos fuisse plerique testantur. Item sub Antonino Pio anno salutis 162. ex Babylonia in Italiam, ex Italia Romam pestem ventorum flatibus asportatam Cardanus; Portus, Fabius Paulinus lib. primo in Thucydidis narrationem fol. mihi 149. & 150. qui alios refert, tradiderunt. Item ex Schiauoniæ regione, in qua pestis grassabatur, Venetias anno salutis 1456. pestem perlatam a ventis scripsit Herculanus in commentario in quartum Auicennæ librum. Ideo Hieronymus Fracastorius lib. 1. de contagione cap. 13. monet, tunc maximè cauendum esse, cum venti ex ea regione, vbi pestis grassatur, ad nos perflant.

PROBLEMA XXX.

Quod nam contagium sit magis perniciosum, quod est ex contactu immediato, an ex fomite, vel ex aere.



Respondetur cum *Mercuriali cap. 14. de Pestilentia in fine* multo exitiosius esse illud contagium, quod habetur ex immediato contactu, deinde illud quod est ab aere. Tertio quod est à fomite. Ratio est quia virtus quò magis vnitur suo principio, eò fortius agit, & quò magis elongatur à suo principio, eò magis diminuitur, sed contagium quod est ab immediato contactu, vnitur magis principio, & fonti pestilentiæ, quod verò est a fomite magis elongatur à suo principio, ergo in primo virtus erit fortior, in secundo debilior ad agendum, consequenter maius infectionis periculum imminet, si peste tabescentem tangas, quam si pestilenti veste vtaris, vt quotidiana experientia nos docet. Quod verò pestilens aer sit peior fomite, suadetur facilè, quia aer intus respiratione excipitur, at indumenta, & similia, quæ fomitem contagionis includunt, solum exterius adhęrent homini ergo. Neq; tamen ex intus susceptione aeris licebit inferre primas partes aeri dandas esse quoad virtutem inficiēdi. Siquidem considerandum est, etiam ex corpore morbido manare halitum fœdatum, quem intus excipimus, deinde aer infectus ex noxia qualitate non est adiutus calore agente, sicut adiumento contagionis est calor viuentis, idcirco

actio

actio ex contactu immediato, vt dixi, est multo efficacior virtute aerea insensibili, ac caloris vitalis experte.

PROBLEMA XXXI.

De signis Pestis corpus aliquot inuadentis.



Iximus de indicijs futuræ pestilentiæ in aliqua regione, nunc indaganda remanent signa, siue affectiones particularium corporum, ex quibus Pestilens morbus coniectari solet. Vide Petrum Parisium in suo de Peste tractatu cap. 2. Philippum Ingrassiam de Peste Panormitana.

Primum itaq; signum est capitis dolor vehementissimus, cum maxima, & insolita inflammatione, adeout accensis spiritibus animalibus penè ardere videatur. Meminit huius symtomatis Thucydides de peste Athaniensi scribens ijs verbis. *Alios ex nulla euidenti causa, sed subitò cum sani forent, primum quidem capitis ardores vehementes.* Quos quidem inter prima pestis preambula connumerant, quotquot de Peste scripserunt. Ex hac nimia capitis inflammatione sæpe oritur, vt morbo pestilenti correpti in Phrenesim etiam, & in furorem maximum incidant.

Secundum signum est oculorum inflammatio, & rubores maximi: Quod euenisse in Peste Atheniensium subdit eodem loco *Thucydides*, & in Peste sui temporis *Euagrius lib. 4. cap. 29.* vbi narrat *hoc morbo correptos oculos sanguinolentos, & tumidam faciem habuisse.* Consentiunt eidem traditioni Medici, e quibus *Hieronymus Fracastorius lib 2. cap. 4. de morbis contagiosis* inter signa febris Pestilentialis oculorum ruborem enumerat. *Oculi* inquit *subrubent, et vacillant:* & cap. 9. caput graue, & oculi rubent, & Fernelius *lib. 2. de abditis rerum causis oculi* inquit *tument, & illacrymantur facies quasi inflammata rubescit.* Ideo *Amicus in suo tract. de peste cap. 24.* ex Galeni doctrina monet, oculos eorum, qui de peste suspecti sunt, diligenter inspiciendos, & lauandos. Siquidem inter lauandum manifestè reddũtur calidi, & flammei, quod si post lotionem perseuerant tales, procul dubio eos detineri peste, est pronuntiandum. Mitto plura alia tum Medicorum, tum Poetarum testimonia, quę plena manu cumulauit *Fabius Paulinus lib. 1. in historiam Thucydidis fol. mihi 231.* Causa ruboris oculorum duplex est capitis inflammatio, & spirituum animalium agitatio, qui pestifero veneno exagitati, cum inter cerebri sinus contineri nequeant, ad oculos deferuntur, quos rubeos, & inflammatos, ac vacillantes reddunt.

Tertium signum est triste supercilium ægri, vultusq; furiosus, & acer.

Quartum Aurium tinnitus maximi, qui ex spirituum animalium resolutione, & extinctione oriuntur.

Quintum Anhelitus creber, ingens, ac velocior ob cordis incendium.

Sextum signum est guttur, & fauces sanguinolentæ, siue sanguinem expuere. Meminit huius *Thucydides* ijs verbis, *et interiora guttur inquam, et lingua repentè sanguinolenta erant, et spiritum tetrum, et graueolentem emittebant.* Idem contigisse in sua peste scribit *Mattheus Villanus* ijs verbis. *Vna pestilenza tra gl' huomini d'ogni conditione di cattiuo, e reo, e sozzo cominciamento à sputar sangue, e moriuano chi subbito, e chi in due ò tre dì: Alcuni sostenéuano più à morire.* Euenit hoc symtoma in Vrbe hac sed in valdè paucis.

Septimum est fœtor halitus, qui ex magna latētis putredinis copia ortū habet. Nec solum fœtet anhelitus, sed sudor, sputū, & excrementa omnia. Quod scripsit reliquit *Franciscus Thomasius in suo tractatu de peste* ijs verbis. *Purgamenta omnia, quæ*

a pestilenti eduntur fætent, ut sudor, egestio, sputum halitus, etc. Quinimmò sępe accidit, vt totum corpus quamuis adhuc viuens tetrum cadaueris spiret odorem.

Octauum signum est sternutatio, quæ nihil aliud est, quam actio cerebri offensi, sed adiuti beneficio caloris persequentis humidum superuacaneum. Sternutatio est bonum, & malum signum. Dicitur bonum signum, seu bonus effectus ex mala causa accidentali, scilicet ex suprabundante humido, quoties sternutatio est fortis, cum spiritu flatuoso coniuncta, itaut humidum expellatur, & caput ex materia decocta, & euacuata alleuietur. Dicitur malum signum, quoties materia adhuc incocta, & indigesta remanente, nullus flatuitosus humor expellatur. Denotat enim cerebri pugnam contra hostilem materiam; sed hanc preualere, fixamq; intro sedem habere, nec facile posse expelli; & tunc quo crebrior sternutatio, eò signum deterius est.

Quamobrem sternutatio ista in peste affecto fit ex maxima copia humidi cerebrum occupantis, quod frustra expellere conatur. Præcessit autem hoc symptoma tum in peste Atheniensium de qua *Thucydides* sic fatur. *Deinde ex his sternutatio, et raucitas accedebant.* Tum in Peste Romanorum anno domini 590. sub Pelagio Papa, in qua sternutantes vel oscitantes repentina morte concidebant, ex maxima intus latentis veneni efficacia, quæ foras erūpens secundū partes subtiliores vel secundū partes crassiores petebat, & subito illud opprimebat: ex quo cœpit laudabilis illa consuetudo in sternutando, & oscitando os signandi signo crucis, diuinumq; ab amicis auxilium precandi, quę nunc etiam apud omnes Italos viget.

Nonum pestis signum est vocis raucitas defluente humido viscoso ex capite per organa vocis. Meminit huius signi Thucydides ijs verbis: *Deinde ex his sternutatio et raucitas accedebant* Meminit & *Hyppocrates in 3. Epidem. contextu* 10. vbi ait *multi faucibus laborarunt, voces deprauatæ, et vitiatæ,* vbi *Galenus in Commentario* sic differit. *Quibus caput erat obnoxium grauedinibus, et plenitudine, natura, his nunc repletum succorum abundantia cœpit dimittere in pulmonem, et ventriculum fluxiones per fauces, et ita voces fuisse vitiatas.* Meminere *Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis cap. 12. vox* inquit *raucescit, spiritus creber, et difficilior euadit,* nec non *Fallopius in suo tractatu de tumoribus cap. de bubone pestilenti,* vbi inter pestis symptomata raucedinem enumerat cum difficili respiratione, & dolore thoracis.

Decimum signum pestis est thusis vehemens, ferina, maligna, & sicca, qua nullus pęne humor è pectore ob materiæ indigestæ viscositatem, & debilitatem expultricis extrahitur. Euenit hoc symptoma in peste Atheniensium, vt testatur Thucydides ijs verbis. *Et in non multo tempore descendebat in pectus dolor, cum thusi vehementi, & cum in corde hæserat, subuertebatq; ipsum* idem accidit in peste illa, quā describit *Procopius lib. 2. de bello Persico,* vbi sic fratur. *Corripiebantur enim statim febre, calore coloreque pariter corporis nusquam mutatis. Neque vlla, item inflammatio, (vti febricitantibus solet) sed thusis quedam ab initio vsque ad vespe ram febris erat.* Eadem affectione thusis laborarunt in hac Vrbe Florentia pestilentes his duobus præteritis annis, quam etiam recitat *Petrus Parisius in suo tract. de peste cap. 2. Valeriola in Apendice locorum communium cap. de Pestilentia,* & copiosius *Fabius Paulinus in Thucydidis narrationem lib. 1. fol mihi* 258.

Decimumprimum signum est stomachi subuersio cum nansea, siue vomendi desiderio, sed inani, & appetitus prostratione. Sic *Thucydides de Peste Atheniensium* verbis supra inductis *Philippus Ingrasias de peste Panormitana par. 1. cap. 13. Fabius Paulinus,* vbi supra fol. mihi 264. & plerīq; alij scriptores.

Decimūsecundū signū sunt bilis expurgationes omnes, cū cruciatu intestinorū, lumborum, & renum, nec non colici dolores, qui anno 1560. mensibus Augusti, & Septembris in Drapanensi Vrbe peste afflicta valde ingruerūt, vt scribit *Petrus Parisius in suo tractatu de peste cap. 2. & Fabius Paulinus d. lib. 1. fol. 270. ad 277.*

Deci-

Decimūtertium signū est singultus frequens, sed inanis. Meminit huius *Thucyd.* *des Antonius Porrus tract. de peste* qui inter pestis signa singultus enumerauit: fusissime *Fabius Paulinus d lib. 1. in Thucydidis narrationem fol. mihi* 277. vbi disputat An in gula fiat singultus vel in stomacho, & si in stomacho an in eodem indiuiduo simul esse possint nausea, vomitus, & singultus; & qua ratione sternutatio medicina sit singultus.

Decimūquartum signū est Neruorum siue partium neruorosarum conuulsio, a magna, & vehementi singultus copia excitata. Meminit huius *Thucydides, et Fabius Paulinus fol.* 284. illustris eiusdem commentator.

Decimūquintum signū est color carnis subrubeus, liuidus, & plūbeus pullulis exiguis efflorescens Idest scatens, & repletus. Hoc est pręcipuum pestilentis febris apertum signum valde obseruandum: cuius eisdem pœne verbis mentionē fecit Thucydides.

Decimumsextum signum est ęstus, & incendium internum, quamuis exteriora algere videantur. Hoc symptoma descripsit eleganter Thucydides ijs verbis. *Et corpus quidem exterius attingenti non admodum calidum erat, neq, pallidum, sed subrubrum, liuidum, pustulis exiguis, et vlcusculis efflorescens. Interiora verò ita flagrabant, vt neqs tenuissimorum vestimentorum aut linteorum iniectiones sustinerent neq, aliud quidpiam prater nuditatem: iucundissime verò in aquam gelidam se ipsos abijcerent, et multi hoc etiam fecerunt ex ijs hominibus, qui neglecti, et sine custodia iacebant in puteos se dimittentes.* Eundem internum ardorem, & vestimentorum reiectionem expressit Ouidius lib. Metamorphoseos ijs versibus.

Viscera torrentur primo, flammisq; latescunt
Indicium rubor est, et ductus anhelitus igni
Aspera lingua tumet, tepidisq, arentia ventis
Ora patent, auraq; graues captantur hiatu,
Non stratum non vlla pati velamina possunt
Dura sed in terra ponunt pracordia. nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore feruet.

Decimumseptimum pestis symptoma est sitis intolerabilis, adeo vt multi sese in puteos vel fluuios deijcerent vt sitim extinguerent, verum tam multum quam parum bibere idem erat, quia nunquam sitim extinguebāt. Non siluit hoc idem Thucydides dum post relata verba sic subdit: *inexausta siti perpetuè laborantes, et in pari periculo versabahatur nimius et parcus potus* elegantissimè Ouidius.

Passim passimq; pudore
Fontibus, et Fluuijs, puteisq; capacibus harent.
Nec sitis est extincta prius, quam vita bibendo
Inde grauis morbo nequeunt consurgere, et ipsis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit et illas

Decimūoctauum signū sunt vigiliæ, & quietis priuatio, de qua Thucydides sic loquitur. *Et requiei penuria ac vigilia perpetua urgebant.* Mentionem fecit etiam Lucretius.

Nec requies erat ulla mali, defessa
Iacebant corpora, mussabat tacito medicina timore
Quippe patentia cum totas ardentia noctes
Lumina versarent oculorum expertia somno

Decimūnonum signū est Profluuiū alui maxime si nigrū sanguinē vel nigram bilim emittat. Indicat enim postridie ægrum moriturum *ex Gal. Aphorismo* 23.

Vigesimum est Pudendorum inflāmmatio: quod inter omnia apertissimum est Pestis signum, si alia multa licet non omnia symptomata iam relata concurrant. Quamobrem hanc maximam tradunt *Franciscus Stabilis,* & ex ipso *Fabius Paulinus lib. 1. in Thucydidem fol. mihi* 350. quoties pestilentiæ tempore quis moritur in

flamma

flammatione in pudendis apparente, peste interemptum fuisse pronuntiandum est. Quod probat auctoritate Thucydidis cuius hæc sunt verba. *Et si quis fuisset ex maximis periculis superstes, extremorum prehensio id significabat. Inuadebat enim verenda, & in summas manus ac pedes, & multis his amissis effugerunt. Sunt etiam qui oculos amiserunt, nonnullos verò obliuio cœpit statim a morbo vindicatos omnium rerum pariter, nec agnoscebant se ipsos quoq; aut familiares.* Idem comprobat auctoritate Nicolai Colochij, qui inter signa, quibus dignosci potest, quem fuisse pestilentia sublatum, indubitatum ac certissimum illud esse asserit, cum testiculorum maxima apparet inflammatio,& Ratio etiam suffragatur quia ob maximam Thoracis cũ testibus sympathiam, & consensum natura inclusum in Thorace venenum in testiculos deponit, ex quo sequitur inflammatio. Mitto plura alia Pestis signa,quæ collegit Petrus Parisius d. tract. de peste cap, 2. Philippus Ingrassias de peste Panormitana cap. 15. qui quinquaginta duo recenset, & Nicolaus Massa, qui in suo tractatu de peste quinquaginta & vnum enumerat, & alij quam plures.

Verum hucusq;a nobis allata veriora, certiora, & vniuersaliora sunt,quæ licèt non omnia singulis peste affectis accidant,fat erit tamen prudenti viro plurima obseruare iuxta varia induiduorum temperamenta, morbornm origines, & multiplicem regionum qualitatem.

PROBLEMA XXXII.

Pestis Remedia spiritualia vide in apparatu ad hunc tractatum in fine.

PROBLEMA XXXIII.

De remedijs characterum. Agitur Vtrũ quibusdã verbis vel characteribus sacris insit virtus sanandi vel præseruandi a peste.



VIX cœpit contagiosus morbus de anno 1630. *Mediolanum*, ac propinquas Vrbes, & loca inuadere, cum statim per vniversã Italiam remedium quoddam a peste præseruans diffusum fuit, quod quibusdam characteribus inscriptum, vel anulo, insculptum ad sinistrum brachium ab omnibus ferè Christi fidelibus, necnon a viris religiosis, monialibus, ac Prælatis veluti salutare Antidotum cœlitus reuelatum deferebatur, quod Sacri Concilij Tridentini patribus fama erat maximo fuisse adiumento. Neq; eidem Sacri Iudices sese opponebant, quinimmo non solum illius vsum permittebant,sed etiam publicæ eiusdem impressioni, præsertim in quodam de peste opusculo,cuius titulus est *Epistola responsiua ad Cardinalem Caponium Bartholomai Gallesij Physici Bononiensis*, vbi hoc remedium adhuc legere poteris, annuerunt. Quod idem in *Veneta ac Senensi Vrbe* permissum fuisse,a viris fide dignis accepimus. Neque mirum id aliquibus esse debet, cum multi viri doctissimi nullam in ijs verbis Sacris, mox tibi ante oculos subijciendis vanum cultum, ac superstitionem,vel dęmonis pactum agnoscerent, atq; facta protestatione de non consentiendo dęmoniaco signo, istarum litterarum delationem, & vsum suis pœnitentibus libentissimis animis concedebant.

Verum cum ex aduerso, in hac Florentina Vrbe, post multam discussionem,

vsus horum Characterum de maiorum mandato publicè reprobaretur, cœpi magis hac de re, quam etiam ab initio superstiouem sapere mihi persuadebam, dubitare, atq; pro veritate inuestiganda, non solum quam plures libros attenta mea te reuoluere, sed doctiores quoq; nostri ordinis viros consulere. Scripsi hac de re ad *R. P. Homobonum de Bonis in Cathedrali Bononiensi* Ecclesia pœnitentiarij munere per plures aunos laudabiliter fungentem, qui etiam nō paucos libros eruditè edidit, ex quo licere istorum Characterum vsum, Florentina reprobatione nō obstante, accepimus. Quod idem responsum dederunt nonnulli sapientissimi aliorum ordinum Patres. Quibus tamen cum nos quiescere non possimus, vt veritas ista nobis aperiatur, ac ne iterum minus cauti decipiantur, plenissimam huius præseruantis a peste medicinæ narrationem, singulosq; characteres, qui tunc in vsu erant, atq; ipsorùm declarationem lectori ante oculos proponemus, ac deinde quid de eadem re sentiendum sit iuxta Sacros Canones, & Doctorum scripta, paucis aperiemus.

De quibusdam Sacris Characteribus a peste præseruantibus.

VEra Relatione del Reuerendissimo D. Francesco Salazaro Vescouo di Salamina, di quel che passò ritrouandosi nel Cōcilio di Trēto l'anno 1546. quando per quella gran peste furono costretti trasportare il Concilio in Bologna, che ne fūrono legati il Cardinale del Monte, è quello di Santa Croce, che ambi poi furno PP. Essendo trā gli altri Vescoui vn Greco detto Houando Patriarcha d'Antiochia, il quale portaua vna maniglia al braccio con le lettere infrascritte, e domandata la cagione dalli sopradetti Legati. Disse che quelle lettere seruono contro la peste, affermando hauerle viste in Antiochia in vna Libreria delli Padri di S. Benedetto e che quiui l'haueua lasciate S. Zaccharia Vescouo di Gierusalem con la sua interpretatione, e che le Orationi quiui suscritte, si hauessero à dire dal Sacerdote doppo la Messa prima che si leui alcun vestimēto, per lo che tutti quelli Legati è Vescoui del Concilio portando dal'hora in poi il sopradetto maniglio operando in quelli miracolosi effetti, gia che prima fu tal giorno, che di peste morirono 20. Vescoui è 3. Generali d'Ordini &c.

Queste sono le lettere, che si deuono scolpire nella maniglia ò anello.

†. Z. † D.I.A. † B.I.Z. † S. A. B. † Z. † H.G.F. † B.F.R.S.

Interpretatione delle sopradette lettere.

† Crux Christi salua me.
Z. Zelus domus Dei libera me
† Crux Christi vincit, Crux regnat, & per signum Crucis libera me Domine ab hac peste
D. Deus Deus meus, expelle pestem de loco isto & libera me
I. In manus tuas Domine commendo Animam meam & corpus meum
A. Ante Cœlum, & Terram Deus erat, & Deus potens est liberare me ab ista peste
† Crux Christi potens est ad expellendam pestem à loco isto, & corpore meo
B. Bonum est postulare auxilium Dei cum silentio vt expellat pestem à me
I. Inclinabo cor meum ad faciendas Iustificationes tuas vt non confuudar quia inuocaui te
Z. Zelus super iniquos pacem peccatorum videns, & sperauero in te
† Crux Christi fugat demones, Aerem corruptum & pestem expellat

S. Saluas

S. Salus tua ego sum dicit Dominus, clama ad me, voca me, Pater meus es tu, & ego exaudiam te, & liberabo te ab ista peste

A. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum expulisti dæmones & à peste liberasti me

B. Beatus vir qui sperat in Domino, & non respexit in vanitates, & insanias falsas

† Crux quæ ante fuit in opprobrium, & nunc in gloriam, & nobilitatem, sit mihi in salutem, & expellat de loco isto diabolum, & aerem corruptum, & pestem de corpore meo.

Z. Zelus honoris Dei comedat me antequam moriar, in nomine tuo salua me, & libera me ab ista peste.

† Crucis signum liberabit populum Dei & à peste eos qui confidunt in eo.

H. Heccine reddis Domine populæ stulte, redde altissimo vota tua, & offer Deo Sacrificium laudis, quia potens est istum locum à peste liberare, quia qui cõ fidunt in illum non confundentur.

G. Gutturi meo & faucibus meis adhæreat lingua mea, si non benedixero tibi, & laudauero nomen tuum, quia Sanctum est, & liberans sperantem in te Confido, libera me Deus meus ab ista peste & locum Istum, vbi nomen tuũ inuocatur.

F. Factæ sunt tenebræ super vniuersam terram in morte tua Domine Deus meus, fiat lubrica, & tenebrosa diaboli potestas, & quia ad hoc venisti fili Dei viui, vt dissoluas opera diaboli, expelle suam potentiam de loco isto: & de me seruo tuo pestis discedat, & Aer corruptus in tenebras esteriores abeat.

† Crux Christi defende nos, & expelle pestem de isto loco, & seruum tuum libera de peste ista, quia benignus est, & misericors, & suauis & multæ misericordiæ & Verax.

B. Beatus qui non respexit in vanitates & insanias falsas, in die mala liberabit eum Dominus, Domine in te speraui libera me ab ista peste.

F. Factus est Dominus in adiutorium mihi, quia in te speraui & liberasti me.

R. Respice in me, & miserere mei, & libera me de ista peste.

S. Salus mea tu es, sana me & sanabor.

Oratio recitanda.

Domine Iesu Christe qui pro Redemptione mundi voluisti de Virgine nasci à Iudæis &c. vsq; Et ab hominibus blasphemari, & tandem in Cruce mori, per tuas Sanctissimas pænas, quas ego indignus recolo, suppliciter deprecor, vt de ista Ciuitate, & domibus eius & de omni populo; meque tuo seruo expellas omnes insidias & diabolicas fraudes & pestem, & ad pristinam sanitatem hanc nostrã Ciuitatẽ, & omnes habitatores eius, perducere digneris, fracto vinculo cuiuscunq; generis maligni. Amen.

Verba Sancti Zachariæ.

Maledicti, Excomunicati, blasphemi Dæmones in virtute verborum istorũ, Messiasi Emanuel, Sabhaot, Athanatos, Hyschisos, Eleyson, Thetagramaton, vos constringimus, Vos priuamus, vos expellimus ex ista Ciuitate, & ex Hominibus eius & præcipimus vobis, vt non audeatis per pestem nocere corporibus habitantium in eam. Ite Ite Ite maledicti in stagnum ignis. Ite statim ad loca vobis destinata & de cetero non audeatis nec istam Ciuitatem, nec habitatores eius offendere. Imperet vobis Deus Pater, Imperet vobis Deus

F 2 Iesus

Iesus Imperet vobis Deus Spiritus Sanctus, Imperet vobis Sancta Trinitas, Vnus Deus. Discedite maledicti Dæmones In nomine Domini Iesu Christi qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem Amen.

Reprobatur tanquam superstitiosus prædictorum Characterum vsus.



Ceterum superstiosum esse, ac minimè tolerandum præcedentium litterarum vsum manifestis rationibus demonstrabo. Ac Primo ex generalissima regula perpetuò retinenda. Quoties enim nec naturæ vis, nec artificij solercia, nec virtus supernaturalis in promissione Dei fundata interuenit, tunc signum est, pactum cum dæmone occultari. Sic *D. Thomas 2.2. q. 96. ar. 2.* in corpore & ad primum *& ar. 4. Franciscus Victoria relectione de magia nu. 16. Graffius decis. aurear. par. 1. lib. 2. cap. 5. num. 3.4. & 13 in fine Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 15. num. 8. ad 11.* Sed verba nō habent vim naturalem sanandi morbos; verba enim non sunt actiua, nec possunt corpus humanum immutare, vel alterare. Tanto magis si adhibeantur absq; alia rei naturalis applicatione, vt in casu nostro, tunc manifestam sapiunt superstitionem, vt pluribus demonstrat *Thomas Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 40. nu. 39. vers. 2. dico Martinus Delrius lib. 1. Disquis. magicar. cap. 3. tota quæst.* 4. vbi latissimè probat vim sanandi naturalem non posse conuenire voci aut visioni aut contactui aut osculo & halitui hominis, & proprius ad rem nostram *lib. 3. par. 2. quæst.* 4. *Sec.* 8. demonstrat neq; verbis Sacris vim morbos sanandi inesse posse naturalem, aut supernaturalem *Lessius lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 10. num. 62. & 63. Petrus Ciruelus tract. de superstione par. 3. cap. 11. Franciscus de Torreblanca Cordubensis in suo aureo epitome delictorum de aperta vel occulta dæmonum inuocatione lib. 2. cap. 49. sub num.* 54. *& in apendiec sub nu.* 12. vbi dicit superstitiosum esse credere messe virtutem sanandi, vel præseruandi verbis Sacris, etiam ipsi *Euangelio D. Ioannis*, de quo præclarum habemus testimonium apud *D. Chrisostomum homil. 43. in Matthæum* in opere imperfecto a medio illius *tom.* 2. quod etiam affertur a *D. Thoma 2.2. d. q. 96. ar. 4. in argumento sed contra. Quidam* inquit Chrysostomus *aliquam partem Euangelij scriptam circa collum portant, sed nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, vt audiatur ab hominibus? cur ergo in auribus posita Euangelia nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa saluare? Deinde vbi est virtus Euangelij, in figuris litterarum, vel in intellectu sensuum? si in figuris, bene circa collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa.* Hactenus D. Chrysostomus.

Dices non inesse verbis Sacris virtutem sanandi naturalem, sed supernaturalem. Sed hoc responsum facilè conuellitur, quia ista virtus supernaturalis non potest verbis Sacris inesse nisi ex diuina promissione, sed Deus nullis verbis determinatis promisit virtutem sanandi infirmos a peste vel alio morbo, ergo.

Ex his deducitur optima & obseruanda regula, quam multis probat *Torreblanca* vbi supra. Quoties verba Sacra ad alium finem ab aliquibus ordinantur, & adhibentur, ad quem non fuerunt a Deo instituta, tunc signum est occulti cum dæmone pacti: Vnde teste eodem Doctore Quidam Saluator Ipris vt Necromanticus damnatus fuit, quòd ad incautos decipiendos ex pacto cum dæmone, recitatis Sacrosanctis consecrationis verbis, vulnera omnia sanaret. Et *Prosper Farinaccius tract. de hæresi quæst.* 81. §. 1. *num.* 49. *vers. Amplia* 21. post multos docet, hæreticale esse fortilegium, in quo immiscentur verba Sancta, aut orationes, vt puta Euangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Aue Maria, Psalmus aliquis Dauidicus,

uidicus, verba Sacræ Scripturæ, aut aliæ orationes. Quod eisdem verbis prius dixerat *Graffius decis. aurear. par. 1. lib. 2. cap. 5. de superstitiosis obseruationibus num. 13.* in fine.

Secunda Ratio superstitionis, quæ proprius ad casum nostrum accedit, ex eo recte deducitur, quod virtus istorum Characterum a peste seruans fundatur in apocripha Tridentinę Synodus patrum historia, quam nullus probatus auctor te statam scriptis reliquit. Quinimmo intra Catalogum Episcoporum, qui eidẽ Concilio interfuerunt, non enumeratur *Franciscus ille Salazar Episcopus Salamiqus*, sed potius *Petrus Gonzalez de Menodoza* eiusdem vrbis Antistes refertur. Nec minus ibidem inter Patriarchas enumeratur *Nomandus ille* supra in eadem narratione allegatus, sed alius. Mendosa ergo historia a patre mẽdacij originẽ traxisse suã rectè pręsumitur: cõsequenter maximã superstitionis suspicionẽ præbet. Vnde *D. Thomas 2. 2. d. q. 96. ar. 4. in C.* agens vtrũ licitũ sit suspẽdere ad collũ diuina verba, sic ad rem nostrã loquitur. *Est etiam cauendum ne aliquid falsitatis contineat, quia eius effectus non potest expectari a Deo, qui non est testis falsitatis. Et Thomas Sanchez d. lib. 2. Summa in decalogum cap. 42. sub num. 44.* post *Martinum Delrium d. quæst. 4. Sec. 8. litt. E vers. 11.* tractans quid in dubio agendum An aliqua virtus supernaturalis insit Sacris verbis ex diuina reuelatione alicui Sancto viro facta nec ne, rectè monet, quoties legitimis probationibus non fuit ab vtente ijs verbis demonstrata prędicta diuina reuelatio, in dubio esse ab ijs verbis abstinendum, & tutiorem partem amplectendam: & Rationem affert quia cum diuinæ illius virtutis existentia sit quid facti, non pręsumitur, nisi legitime probetur. Itaq; si in dubio reuelationis; lethale esset velle ijs Sacris verbis vti ad effectum sanandi, vel præseruandi, quanto maior culpa lethifera in nostro casu interuenit, in quo certi sumus de falsitate reuelationis.

Tertia Ratio probans latere hic aliquam superstitionẽ sumitur ex declaratione ipsorum Characterum, quam si quis rectè ponderabit, procul dubio comperiet, nullam habere cum virtute a peste præseruandi affinitatem; æqualiq; ratione posse adhiberi ad pręseruationem ab alijs morbis, mutatis nominibus; cõsequenter si talia verba Sacra sunt solum deprecatiua, non minus alios Dauidicos versus, quam prædictos ad eundem finem præseruationis conducere posse. Quid ergo virtutis habent istæ potius litteræ, quam aliæ, aut cur ista potius quam alia diuinæ scripturę verba brachio alligata deferuntur?

Quarta Ratio est, quia cum isti Characteres proponantur, & deferantur absq; alia declaratione, possunt, ex pacto dęmonis cum mago, aliud significare quam significent ex natura rei, seu ex supposita declaratione, ergo superstitionem continere dubium esse non potest.

Quinta Ratio colligitur ex *actis Ecclesiæ Mediolanensis par. 7. sub titulo dell'instrutioni per il tempo della peste* vers. *Editto nel quale si prohibiscano bollettini anelli e simili cose per rimedio dalla peste* fol. mihi 1055. vbi licet in specie prædicti Characteres, & annuli non prohibeantur, sed duo alia diuersa genera, nihilominus in calce, vniuersalissima lege omnia & singula sub quocunq; nomine scriptorum, seu litterarum genera, quæ virtutem a peste sanãda, vel præseruanda habere quis fingat, reprobantur.

Accedat denique ipsius *Sacræ Congregationis* declaratio de eadem quæstione, vt constat ex litteris *Cardinalis Sancti Honofrij ad Clementem Egidium Seraphici Ordinis*, Generalem in Etruria Sancti Officij Inquisitorem meritissimum, sub *die 18. Septembris eadem anno* 1630. quibus definitur non solum istorum Characterũ vsum pro pestifero morbo repellendo esse superstitiosum, sed a fidelibus tollendum, atq; diffusa vbiq; ipsorum exemplaria statim recolligenda, veluti in hac Vrbe factum est de maiorum mandato.

Diluun-

Diluuntur nonnulla argumenta pro licita prædictorum Characterum gestatione.



Ne iam rectè acta agamus, minime hoc loco ea argumenta afferre contendimus, quibus sanandi vim verbis inesse probant multi, sed solum nonnullas non spernandas rationes producere decreuimus, quæ licitam harum litterarum gestationem suadere possent. Ac primo obijci potest illorum theologorũ traditio, qui docent licitum esse vsum piorum verborum ad morbos pellendos, non sperando ex illis certam salutem, sed per modum impetrationis a Deo. Sic **Suarez tom. 1. de releg. lib. 2. de superstitione cap. 15. sub num. 27.** quem sequitur **Sanchez lib. 2. in Decalogum d. cap. 40. num. 44.** in calce: simili modo ergo quis dicet virtutem seruandi a peste, ijs Characteribus esse insitam non infallibiliter ex diuina promissione, sed deprecatiuè. Respondeo has preces non esse ab Ecclesia ad talem finem approbatas, neq; vlli Sanctorum reuelatas, de quibus prædicti Doctores loquuntur. Deinde doctrina allata Doctorum non procedit in his verbis vel Characteribus, qui fundantur in falsitate historiæ, nec verum est eos continere vim deprecatiuam, sed potius ambiguas significationes, quę ex pacto dęmonis possunt plura significare, forte nostræ fidei aduersa, proinde huiusmodi Characteres suspectos, superstitiosos, & in dubio vitandos, vt supra dictũ est, præsertim stante declaratione Sacræ Congregationis.

Obijcies secundo doctrinam **Bonacina tem. 2. disp. 3. quæst. 5. puncto 4.** de vana obseruantia **num. 11.** vbi post alios tradit vitari superstitionem in imaginibus vel scripturis Sacris adhibendis, vel ad collum portandis; si hæc insint. Primo si non contineant quid falsi contra Sacras litteras, vel Ecclesiæ traditionem. Secundo si non adsit aliqua circunstantia significans dæmonis inuocationem. Tertio si non sint ignota nomina, vel alij Characteres præter signum Crucis. Quarto si non ponatur spes in modo scribendi, vt in charta virginea, vel in tali tempore & loco. Quinto si non promittatur infallibilis effectus: sed nullum horum reperitur in prędallegatis Characteribus ergo non erit superstitiosum illos deferre. Respondeo cum Characteres isti mendosæ historiæ nitantur, satis inde præsumendam superstitionẽ. Deinde adhibentur ad aliũ finẽ quam a Deo fuerint instituti, proinde continere possunt occultam dæmonis inuocationem iuxtà dicta **num. 11.** item adsunt plures præter Crucem litteræ ambiguæ significationis, gestatio facienda erat ad sinistrum bracchium, simplices infallibilem sibi facilè promittebant a peste liberationem virtute prædictarum litterarum, consequenter non carent superstitione; præsertim consideratis omnibus a nobis supra allatis.

Obiici posset Tertio doctrina **Caetani 2. 2. quæst. 96. art. 4.** vbi excusat a lethali licèt non a veniali eos, qui vtuntur ex deuotione quibusdam anulis confectis ex nummis oblatis Crucifixo in die Parasceues, quibus putant inesse virtutẽ cōtra morbum contractionis membrorum, quo laborant, præsumentes Deum alicui Sancto viro hoc inspirasse: ergo idem dici posset in casu nostro. Respondeo aliud est, aliquid esse licitum ex natura rei, aliud est esse illicitum, sed ex simplicitate & ignorantia excusare a culpa: Nos ergo dicimus vsum illorum Characterum non esse licitum ex proprio obiecto & circunstantijs, excusare tamen a peccato propter ignorantiam, quę si sit crassa vel affectata non excusabit. Quin immo vix potest inquit **Suarez d. lib. 2, de superstitione cap. 15. sub num. 26.** dari ignorantia omnino inculpabilis, quia vtentes ijs verbis, vel Characteribus, vel anulis non habent probabilem rationem pręsumendi diuinam virtutem illis ver-

bis

bis vel anulis infalibiliter assistere, & semper habere suum effectum, cum hoc sit solis verbis Sacramentalibus proprium. Verum loquitur his auctor de more vt sapientissimus Theologus, sed Theologicum istum discursum habere nō possunt simplices fœminæ, vel rustici: Credo igitur dari in multis ignorantiam harum rerum ab omni culpa excusantē in vtroq; foro, quia sufficit has traditiones eos à maioribus accepisse. Dificile enim est inquit ibi *Caetanus* quod seniorum auctoritate firmatum vulgares acceperunt, prçsertim si experimento inuentum effectū non semel comprobassent. Accedit quod simplicitas excusare potest rudes fœminas & rusticos a crimine hæresis manifestæ, vt post multos docet *Farinarius de hæresi quæst. 189. §. 2. num. 24.* vbi ponit exemplum de illa Vetula, quç credebat *Trinitatem* esse *vnam fœminam*: error enim formalis in fide contumaciam nolentis credere prçsupponit.

Obijci potest quarto verba ista Sacra, vt patebit consideranti, nihil aliud continere nisi Sacros dæmonum exorcismos, quos nullus damnare potest, ergo licebit eos ad brachium deferre. Respondeo cum sæpissime pestis sit morbus naturalis, vel ex contactu, & consortio hominū infectorum ortus, frustra ad hunc morbum expellendum dæmonum exorcismi adhiberentur, deinde istis exorcizandi ritibus Ecclesia non vtitur, vel numquam fuerunt in vsu. Hinc *Federicus Borromeus Cardinalis & Arciepiscopus Mediolanensis* anno 1630. quo Mediolani pestis adeo grassabatur, vt nō ex cœlestibus cōstellationibus, neq; ex aeris corruptione, aut hominum contactu, sed ex dæmoniaca arte & prçsentia profecta videretur, ne oues suæ curæ cōmissæ superstitiosis ritibus fugandi dæmones, qui passim circumferebantur, aures præberent, nouam sed plane Catholicam ac valde piam exorcismorum rationem pro pestis tēpore adinuenit, ac populo suo vsum illius proposuit, quem ad posterorum memoriam, atq; ad publicam vtilitatem hic subijcere visum est.

Federici Cardinalis Borromæi Archiepiscopi Mediolanensis exorcismorum contra dæmones institutio hoc tempore pestis.

I. N.
✠
R. I.



QVI Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, nascens ex Maria Vergine conterat omnem potestatem inimicorum nostrorum Visibilium, & inuisibilium, ille ab hac Domo, & habitantibus in ea expellat omnem Diaboli nequitiam & omnia ad ima tartara detrudat Veneficia, incantus, & maleficos ab hac domo & in ea habitantibus auertat, ipsamq; purificet, benedicat, & Santificet Ecce Crucem † Christi fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda Radix Dauid. Agios † Otheos † Agios † Yschyrios † Agios Athaneos † Eleyson ymas † Kyrie eleyson, Christe eleyson Kyrie eleyson.

Coniuro, exorcizo vos Spiritus malignos per Patrem, Filium & Spiritū Sanctū per indiuiduam Trinitatem per omnia nomina omnipotentis Dei, item & Iesu Christi Domini nostri merita B. Mariæ Virginis omnium Sanctorum, & Sanctarum item & † per Sanctos Angelos, Arcangelos, Thronos, Dominationes, Virtutes Cœlorum, Principatus, Potestates, Cherubin & Seraphin, vt ab hac domo statium recedatis, fugatis & à domibus nostrorum omnium discedatis, recedant omnium vestium, vestrorumq; ministrorum insidiæ, neg. omantiæ, vexationes, incantus, illusiones, phantasmata, maleficia variaq; mala Tuque benignissime Domine Iesu Christe Visita habitationē istam & omnes insidias inimicorum ab ea lōge repelle, Angeli tui Sancti habitent in ea, qui cūctos inhabitantes in Pace custodiant, & Benedictio tua sit super domum istam, & habitantes in ea Amen. †

De

De quodam alio remedio Pestis Pliniano execrabili.



Linius lib. 26. cap. 9. suæ Historiæ naturalis refert quoddam remediũ a peste seruans valdè superstitiosum quod est huiusmodi,& quoniam factum horreo, vtar eius verbis. *Experti affirmant plurimum referre, si virgo imponat ieiuna ieiuno, & manu supina tangens dicat. Negat Apollo pestem posse crescere; quam nuda virgo restinguat, atq; ita retorta manu ter dicat; totiesq; despuant ambo.* Verum quis non videt inuentum illud non solum esse superstitiosum, sed fabulosum, impudicum,Diabolicum, periculosum,execrandum. Ac proinde in eius confutatione minimè insistendum.

PROBLEMA XXXIIII.

De Naturalibus Pestis remedijs.

Remedium Primum.

Fuga a loco Pestis.



Nter omnia humana remedia nullum tutius, aut salutarius, pro vitanda peste esse potest, quam discessus a solo infecto. Qui enim habitare volunt in loco contagione affecto, Deum tentare videntur, vt scriptum reliquit *Abbas in cap. de dolo & contumacia.* De qua materia pluribus nos egimus *parte 2. cap. 6.* per totum. Ne tamen fuga ista fiat hyeme vel Sabbatho, idest ne nimium sit tarda, quia in aerem mox bonum abeuntes facilius pestem contrahent,quam in proprio solo, quòd aeris permutatio latitantia pestis seminaria excitet, & excitata celerius & facilius erumpent. Ex quo deducitur, quid sit dicendum ad Euagrij historiam supra relatam, in qua inter alia narrat, nonnullos prorsus incolumes a locis peste affectis discessisse, & cum ad loca sana peruenissent, statim a peste correptos fuisse. Siquidem isti ex mora aliqua in patrio solo infecto pestis seminaria secum detulerunt, quæ a nouo aere excitata se ipsos & alios insciè infecerunt. Locus, ad quem quis fugit, sit a loco, a quo abijt, satis distans, ne aeris propinquitate vel hominum commercio contaminetur. Sit Montanus potius, quam in valle constitutus; & si fieri potest, inter locum a quo discessit, & locum quem quis eligit, mediare deberet mons,vt ventorum inde flatum prohiberet. Reditus ad locũ discessus sit tardissimus,nec prius fiat, quam certò intelligat varia oriri in Vrbe morborum genera, nec omnes eodem morbo ægrotare, sed plures conualescere. Noua enim ægritudinum varietas manifestum Pestis indicat interitum.

Hinc tres istas huius fugæ qualitates nonnulli Medici pilulas de tribus elegan ti allusione appellarunt, quòd fuga huiusmodi his aduerbijs constare debet, cito, longè tardè: quam hoc versiculo explicarunt.

Cede cito, longinquius abi, serusq; reuerte.

Cede

Remedium II.

Aeris expurgatio, & purificatio.



CVM aer humanis corporibus per innumeras vias ac meatus intimè illabatur, ideò alterādum, corrigendum, ac immutandum esse nemo ignorat. Quamobrem si Pestis ab aeris qualitate in festa oritur, adeo vt Pestis illa verè non sit, quæ a vitiato aere non dimanet, quemadmodum nos *parte 1. cap. 1.* copiosè demonstrauimus, studium omne esse debet, vt aer noxias expoliat vestes, induatq; nouas ac beneficas.

Quatuor igitur modis potest aer expurgari, atteniuari, ac purus reddi, & salutaris. Primo igne per vicos accenso, humidum corruptionis Parens exsiccante, additis lignis odoratis, suauissimis floribus, ac vnguentis. Quo remedio vsus Hippocrates, Atheniensem Vrbem Græciamq; vniuersam a teterrimo hoc morbo, immutato & alterato aere liberauit. Ideo in gratiarum actionem publico Atheniensis Populi decreto magnis mysterijs initiatus, aurea corona coronatus, ac solemni Pompa proclamatus fuit.

Non tamen Medici omnes hoc remedium pro singulis temporibus approbarunt, sed solum pro hyemali, vel Autumnali. Siquidem æstiuo tempore perniciosum potius esset, quòd Pestilentes febres ardentes sint, & ideo ab aere feruido & calente potius incendium interius vires acquiret. Sic monet *Philippus Ingrassias in suo tractatu de Peste Panormitana, Mercurialis lect. de Pestilentia cap.* 21. ob eandem ferè rationem pestis tempore prohibentur balnea, ne calor augeatur, vel ne apertis cutis meatibus aer noxius & vitiatus humana corpora copiosior penetret, quemadmodum obseruauit idem Mercurialis cap. 22.

Secundus modus alterandi, & purgandi aerem non minus salutaris, & præsentaneus, quam ab Hippocrate inuentus, fit bombardarum explosione absq; Plūbeis vel ferreis globis. Siquidem ex sonitu illo adeo violento, fumantiq; igniti & sulphurei pulueris odore aer quammaximè mutatur, discutitur, dissipatur, exsiccatur, & purificatur. Quo remedio Pestem apud Neruias nunc Tornacenses appellatos extinctam fuisse testatur *Lemnius in suo aureo opusculo de occultis natura miraculis lib. 2. cap. 10.* & in Belgica Prouincia idem remedium frequentius adhiberi scribit *Diomedes Amicus in suo tractatu de Peste.*

Tertius modus alterandi, & immutandi aerem, sed minus efficax fit hoc modo. Boues non pauci per omnes ferè loci vicos ducuntur, qui cum valdè grauē halitum spirent, aeris non minimam quantitatem intrò recipiunt, quem vitali calore alteratum postea foras emittentes purum efficiunt ac Salutarem. Hoc remedium apud Olysipponenses ciues in vsu fuisse testatur *Stephanus Roderiquez a Castro in suo opusculo de peste parte 1. monito 2.*

Quartus modus expurgandi aerem noxium fit prohibendo flatum Austri, ne ædes priuatas ingrediatur. Sic *Marcus Varro lib. 1. de re rustica cap.* 4. narrat, grassante Corcyræ Peste teterrima, quæ domos ferè omnes funeribus, & ægrotis repleuit, Varronem hoc remedio sibi suæq; familiæ consuluisse. Fenestras omnes domus suæ Austrum respicientes occlusit, ianuam permutauit, alias fenestras Aquilonem versus aperiri iussit, immissoq; Aquilone hac humana prudentia sese suosq; familiares incolumes conseruauit. Eodem modo alius quem retulimus supra occlusa quadam Montis via, per quam Austrini venti flabant, Vrbem vniuersam a pestilenti morbo vindicauit. Nec minus in priuatis ædibus, quam in publicis vicis aer est corrigendus & immutandus frequentibus ignibus ex odo-

ratis lignis, funebri Cupresso, Lauro & similibus additis floribus, alijsq; suauissimis odoribus, cubicula irrorentur aqua rosacea, aceto rosato, aqua ex floribus aranciorum & huiusmodi. Ne tamen æstiuo tempore ignes in cubiculis diu seruentur ob rationes supra allatas. Immo vtilius erit illa apertis fenestris frigido & nouo aeri exponere, aer enim diu inclusus impurus redditur & noxius, quare bonum est fenestras apertas frequentius habere, sed non illas, quæ Austrum flantē respiciunt, vt dictum est.

Remedium III.

Pira Odorata.



VIX exitiali Lue Ciuitas ista quamleuissimè tentari cœpit, cum omnes & singuli ferè ciues non nisi odorata pira armati per vias incedebant, vel sese consortio aliorum communicabant, & iure merito, cum pestis tempore aer, in quo pestilentes vapores recipiuntur, vbique sit immutandus, & corrigendus. Proinde cum odoratu oreq; aer copiosius atrahatur, suauitate odorum alterandus est, ne noceat. Non idem tamen erat omnibus modus, eadem ve materia. Nam aliqui Oleo ad pellenda venena vtebantur. Alij simplici theriaca. Alij spongiam aceto plenam, theriaca, vel aromatibus conditam deferebant. Alij grana nonnulla camphoræ, ori etiam a non paucis immissa; quæ ad pellendos alios fœtidos vapores plurimum valet. Alij odoratis Chirotecis, vel pila ex diuersis aromatibus compacta muniebantur, frequentior vsus fuit aceti Rosati additis quinque vel sex charyophylis nonnihilq; theriacæ miscebatur, quæ aduersus venena omnium Medicorum consensu primum locum tenet.

Ego tamen, cui theriacæ odor molestissimus erat, conscius, quantam vim habeat Acetum ad venena pellenda, de qua problemate 35. in fine nonnihil historicē dicemus, simplex hoc remedium ferè semper nec sine perfectissima incolumitate adhibui. Expedit etiam odoramenta collo appendere, aures oleo de spica suauiter olenti interius linire, non quia per aures respiremus, quem admodū de capris putant nonnulli, sed ad profligandam, vel dissipandam qualitatem illam tabificam, quæ ad aures cum aere percusso defertur. Nec minus immò multo magis saluare erit suffitibus vti aromaticis semel vel bis qualibet hebdomoda; quod huiusmodi sint exsiccantia, omnesq; corporis meatus implentia cōsequenter pestilentes vapores ab ingressu in humanum corpus arcere possint, & ingressos propellere ac expugnare.

Remedium IIII.

Hirci odor, & contrectatio frequens.



HIrci odorem Pestilentiæ aduersari experimento compertissimū est, Hoc remedio vtuntur passim Germani pro Peste auertenda, quemadmodū scribit *Mercuriales cap. 22.* vbi sic habet. *Et ego cū annis præteritis pro Cæsaris Maximiliani valetudine Viennā inuisē & quadā die prādere apud Reuerendissimū Cancellariū vidi in eius ædibus seruari magnū hircū, eius rei cum causam quæsissem mihi responsum est, id fieri pro Peste.* Primus huius remedij inuentor, vel scriptor fuit Auenzoar, ab Auerroe approbatus. Laudans

illud

illud Laurētius Ioubertus in suo tractatu de peste, Thomas Iordanus lib. de pestis Phœnomenis trac. 3. cap. 9. vbi sic loquitur: *De Olido Hirco referunt ea propter caelo pestifero ali, vt quidquid est sordidorum odoramentorum eò sese recipiat; nisi dicas fœtorem hircinum superare alios, & obtundere, vsq; adeo ne percipiantur; quemadmodum plātas odoratas vegetatiores reddi allio circumpacto, quòd virus è vicinis ad sese trahit, sincerumq; pabulum coronarijs indulget plantis.* Hinc suadent nonnulli optimum esse tēpore Pestilentiæ hircum contractare frequenter, & olfacere.

Remedium V.

Emissio Sudoris maxima.



IN Præterita Pestilentia frequentissimo experimento comprobatum fuit, euacuationem factam per sudorem valdè pestilentibus extitisse salutarem, adeo vt quotquot primis diebus ter quaterue sudorem in magna copia emiserunt, tot a morbo isto post paucos dies conualuerint. Idem in Pestilenti clade lugdunensi de anno 1628. accidisse testatur *Ioannes Grillotius Societatis Iesu* de eadem pestilentia scribens capite primo, vbi etiam narrat Pistorem quendam hoc morbo affectum, statim re cognita, in furnum calidum sese iniecisse, in quo tam diù moratus est, donec totus sudore extillaret, quo emissō tertia die conualuit. Ratio duplex afferri potest. Prior quia calore apertis meatibus pestilens vapor euaporat. Posterior quia idem pestilens vapor, qui ex putrida humiditate in gradu excelso oritur, siccitate caloris exsiccatur, & consumitur. Idem remedium valdè commendat *Mercurialis lect. de Pestilentia cap.* 25. ante finem, vbi etiam monet ad sudorem prouocandum plurimum valere aquam hordei in magna quantitate sumptam cum caricis, & puluere violarum, post quorum sumptionem corpus cooperiendum, vt natura excitata inclusum venenum sudore expellat.

Remedium VI.

Potio humanæ vrinæ, quid de stercore distillato Gallinæ nigræ.



GAlenus *lib.* 10. *de Sanitate tuenda cap. de vrina humana* refert Syrios, (quos septimo quoq; anno ob Saturninas influentias peste laborare supra diximus) vrinæ potu solitos a morbo seruari. Quam consuetudinem, quidquid alij dicant, non reprobat Galenus veluti inutilē, & huic morbo minimè accomodatam; sed tanquam sensui asperam & abominabilem. Proinde vsū istum vrinæ peritissimi Medici approbarunt, vt *Marsilius Ficinus in suo Antidoto Epidemico Philippus Ingrassias de peste Panormitana* qui valdè probat vrinam pueri, forte quia potus illius non ita stomachum moueat. *Iacobus Holerius in suo tractatu de peste* vrinam propriam magis commendat calidam epotam, quod est tutius, Et facilius remedium. Minimè verò consentio quibusdā, quos refert *Alexander Massarias lib. 2. de peste* volentibus prodesse magis vrinam maximè pollutam, & peste affecti. Alij vt Auenzoar & Auerroes vrinam veri hirci salubriorem opinantur, iuxta dicta remedio tertio. Nec minus vtile volunt alij huic morbo extitisse distillatum stercus Galli, columbæ, & præsertim Gallinæ nigræ, cuius vsum in peste Mediolanensi multos sanasse auctor est *Antonius Portus lib. 2. cap. 24. & lib. 3. cap. 11.* quem etiam refert, sed vsum non probat *Fabius*

Paulinus in historiam Thucydidis lib. 2. fol. 403.

Ratio naturalis est, quia tam humana vrina, quam gallinæ stercus sunt valde calida, & exsiccantia, consequenter aduersantur putredini, ex qua pestis oritur. Hinc omnis superstitionis suspicio cessat, quia licet color niger, vel albus nihil influat, tamen color niger maioris est indicium caloris, consequenter stercus gallinæ nigræ aptius pestis remedium esse potest, quam gallinæ albę.

Remedium VII.

Cauterium optimum Pestis Antidotum.



Sus cauterij pro auertenda peste adeo a veteribus & recentioribus physicæ artis professoribus commendatur, vt Mercurialis ingenue fateatur, se nunquam vidisse habentem cauterium peste fuisse extinctum, nisi vnum Sacerdotem. Verba illius habemus capite 23. *Commendari cauteria ad præseruandum a peste inuenio apud Nicolaum Florentinum Medicum sua tempestate grauissimum, sed dicam, quod ego vidi experientia. Possum testari me innumeros hac peste extinctos vidisse, nec vnquam vidisse quemquam, qui haberet cauterium præter vnum tantum, atq; ille erat Sacerdos. Interrogaui etiam hac de re multos Medicos qui testati sunt neminem se vidisse: quod quidem argumento esse potest, hoc genus auxilij magnopere conducere.* Eidem traditioni consentiunt *Philippus Ingrassias, Petrus Parisius, Buccius, Paulinus d. lib. 2. in Thucydidis narrationem fol. 413. in calce.* Ratio etiam clara est, quia natura per cauteria, veluti per cloacas expellit humores putridos & prauos, ex quibus pestis generatur, ablata itaq; pestis materia, nequit forma induci.

Remedium VIII.

Temperantia, Gaudium.



Anta est vis temperantiæ, vt lethiferos quoscunq; morbos ab humanis corporibus pellat. Hac vsus Socrates in Atheniensi peste, quæ alios opprimebat, vel affligebat, continuò illæsus permansit, vt testatur de illo *Aelianus lib. 15. sua historia.* E contra videmus nationes gulę nimium indulgẽtes, pesti subiectos frequentissime manere. Verum nomine temperantię non intelligimus hic solam cibi, vel potus congruam abstinentiam, sed etiam comprehendi volumus moderationem somni, vigiliç, Veneris vsus, motus, quietis, & animi perturbationum, quæ magis interdum corpus lædunt, quam mala corporalia, moderandus est inprimis nimius Pestis timor, vel tristitia, vel desperatio, cum solo timore sæpe genitam pestem ex fixa imaginatione, quæ interdum casum facit, satis superq; supra a nobis demonstratum fuerit. Timida enim corpora, imbecilliora metu actuali facta, prona sunt ad suscipiendam pestem. Ideo interpide agendum, deponendæ anxietates animi, fortem nostrã, vitam, vel interitum in manibus Dei relinquendum.

Hinc musicam optimum pestis medicamentum Veteres non immeritò dixerunt, qua Thaletem Cretensem ex Oraculi responso Spartam ab hoc morbo liberasse tradit post multos alios *Martianus Capella lib. 9. de laudibus Musicæ.* Ego hanc musicam nihil aliud fuisse existimo, nisi gaudium, lætitiam, & omnium animi affectuum moderationem, & consonantiam, qui suauissimum quendam con-

centum, dum a recta ratione, veluti a Magistro musicæ reguntur, edere quodammodo videntur.

Remedium IX.

De Antidoto Mithridatica.



VM Gnæus Pompeus Mithridatem Ponti Regem, bello deuicisset, qui tanta animi & corporis pollebat virtute, vt teste Plinio lib. 23. cap. 8. sex iuges equos regeret, duarum & viginti gentium diuersis linguis loqueretur, Græciam vniuersā occuparit, inter alia opima spolia, inuenit in eiusdem scrinio Antidotum contra venena, propria manu conscriptam, cuius compositionem ex duabus nucibus siccis, caricis siue ficis siccis totidē, & Rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano cōficiebatur. Quo remedio qui ieiunus vteretur, ab omni veneno illo die illæsus permanebit. De hoc sic cecinit Quintus Serenus.

Antidotus verò multis Mithridatica fertur,
Consociata modis, sed Magnus scrinia Regis,
Cum caperet victor, vilem deprehendit in illis
Synthesim, & vulgata satis medicamina risit.
Bisdenas Rutæ frondes, salis & breue granum,
Inglandesq; duas totidem cum corpore ficus.
Hæc Oriente die parco conspersa lineo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

Meminit huius Antidoti *Galenus lib. de aliment. facult. cap. 28. & lib. de cibis boni & mali succi capite 18. & 2. de Antidot. cap. 9. Discorides lib. 3. cap. de Ruta*, & omnes Medici vno ore illud commendant, & maximam contra venena vim habere pro certo habent: & ab maximam facilitatem in vsu frequentissimo habetur, vt nos etiam monuumus *par. 1 c. cap. 10. num. 9.*

Verum Hispaniæ, & in Belgica regione, pestilentiæ tempore, ex eisdem narratis ingredientibus electuarium quoddam ori gratissimum confici solet hunc in modum. Sumūtur caricæ idest ficcę ficus ad libras duas, Nuces mundæ ad libram vnam, Ruta ad dimidium libræ, addita salis quātitate. quæ oncias duas non excedat. Deinde omnia ista optimè conteruntur, attrita Sacharo & melle condiuntur, & ex his prædictum electuarium a peste præseruans, quod quolibet mane ieiune sumendum est, resultabit.

Remedium X.

Arsenici gestatio regioni cordis accomodata.



Rsenicum duplex est. Naturale & factitium. Naturale oritur ex mineris metallorum, & dicitur Auripigmentum, factitium siue artificiatum fit ex arsenico naturali, & sale in eadem quantitate, quæ duo mixta simul, & in vase fictili combusta adeo esse debent, donec vapores concrescant circa vas instar christalli, & dicitur Arsenicum Christallinum. Hoc secundum vel per modum rotulæ efformatum, vel pulueris instar attritum, serico panno inuolutum, atq; pestilentiæ tempore supra cordis regionem, vel sub sinistra axilla gestatum, vnicum ac prope diuinum præ-

seruans

seruans remedium esse fatentur Medici ferè omnes. Hoc Adrianum sextum, & alios quamplurimos a peste teterrima illæsos euasisse ijdem testantur, cuius etiã vsus frequentissimus fuit in hac Vrbe Florentia, & experimento cognitus salutaris. Quod ego ipse testari possum, qui cum viderem theriacam, magniq; Ducis oleum ad pellenda venena, non minimo mihi fuisse nocumento, ab ijs omnibus me abstinui, soloq; Arsenici Christalini auxilio fretus, mortem inter tot vitę discrimina effugi: Ratio tam admirabilis virtutis petenda est, vel ex maxima eiusdem Arsenici exficcandi vi in quarto gradu, quæ putredini pestilenti aduersatur, vel ex singulari antipathia aduersus pestem, sicuti eam habet argentum viuum aduersus toxicum, vt philosophatur *Mercurialis in suo aureo tract. de venenis in cap. de Arsenico*, vel ex occulta qualitate, vel similitudine & affinitate eiusdem Arsenici cum interiori veneno. Siquidem cum in morsu canis rabidi, vel tarantalæ quotidie experiamur, imposita hæc ipsa animantia vel aliquid ipsorum, vulneri infecto, virus elicere, & illud ipsum, quod mortem inferrebat, nunc vitã donare, proinde a ratione dissonum non est, Arsenicum venenum regioni cordis applicatum, aliud interius venenum pestilentię seminarium ad se attrahere & foras reuocare, antequam calore præternaturali alteratum, & per corpus diffusum humores vitiet, inficiatue.

Remedium XI.

Ab emissione sanguinis in febri pestilenti Num cauendum.



IS est maxima inter Medicos. An in Pestilentia adde etiam in qualibet febri maligna vtendum sit emissione sanguinis, nec ne. Multi enim id negant, nec infirmis ducuntur rationibus, tum quia febris Pestilens naturæ vires prosternit, cui si addatur emissio sanguinis, omnis naturalis virtus collabatur, necesse est; tum quia agitatione sanguinis seminaria pestis dilatabuntur, & dilatata celerius ad cor ipsum peruenient, & inde sequetur mors: tum quia natura vim morbi a centro ad circumferentiam idest a partibus nobilioribus ad ignobiliores, & ad cutim expellit, sed sanguinis emissione huiusmodi naturæ motus impeditur, intus retento veneno. Alij contra saltem in initio morbi, cum naturæ vires adhuc vigent, emittendum sanguinem in maximum naturæ leuamen & subsidium omninò contendunt, hoc præcipuo moti fundamento, quod venenum a corpore quanto citius est tollendum, venenũ resides in sanguine putrido, ergo emisso sanguine tollitur fundamentum & fomes contagij: Quæ ratio concludit rectè sanguinem mittendum, nisi aliud obstaret, quæ sunt virium in omni pestilentia imbecillitas maxima, humorum agitatio, & naturæ impetus reuocatio. Quas tamen rationes alij pro viribus infringere conantur. Ego sanè nolo quæstionem hanc, cuius solutio ex praxi pẽdet, pro nunc dirimere, ne apponam falcem in alienam messem. Lectorem remitto ad auctores, qui plenius de illa egerunt, inter quos est *Hieronymus Fracastorius* pręstantissimus Philosophus, ac Medicus *lib. 3. de contagione cap. 7. Mercurialis cap. 26 de pestilentia Alexander Massarias lib. 2. de febri Pestilenti Antonius Portus lib. 2. cap. 8. Petrus Parisius de pestilentia cap. 9. Diomedes Amicus de peste cap. 54.*

Hoc vnum tamen silendum mihi non est, a fide dignis acceptum, quod posteris haud poterit esse forte inutile. In hac peste Florentina, de anno 1631. & 1632. quibus vena secabatur, periere ferè omnes. Idem testatur de peste Lugdunensi anni 1628 & 1629. *Ioannes Grillotius cap.* 1. vbi sic ait. *Nec silendum grauissimè ab ijs in peste sanada peccari, qui a potionibus purgantibus & missione sanguinis can*

rationem

sectionem auspicentur, cum potius elaborandum sit, & impensè enitendum, vt sudor copiosus exprimatur, & antidotis viscera et intestina roborentur recreenturq;. Et Philippus Ingrassias de peste Panormitata scribens *par. 1. cap. 9.* inquit idem esse pestis tempore velle sanguinem mittere, ac velle quamprimum sepulturæ mandare, cum experimento comprobauerit, toto eo tempore, quo Pestis grassata est in illa Vrbe, omnes, quibus vena secabatur, post paucos dies interijsse: Idipsum plenius testatur *Fracastorius lib. 3. cap. 5.* accidisse in peste, quæ anno 1505. & 1528. per totum Italiam desæuit. Sunt qui media via ambulant, vt ante veneni pestilentis diffusionem seù in initio morbi sanguinis probent emissionem, sed in modica quantitate, ne inclusum venenum ad nobiliores partes trahatur, at post nonnullos dies decubitus frustra laborare sanguinem emmittentes, cum totus sit intro venenatus. Sed hęc Medicis discutienda relinquamus.

Remedium XII. Omnium pręstantissimum,

Bonus Panis.



TAnta est inter famem & pestem cognatio, & connexio, vt vix aut rarò vnam ab altera separare liceat. Quare fames non modo soror, sed parens est pestis. Reuoluantur innumera tam veterum, quam recentiorum monumenta Historicorum, ex ijs certò colligemus, ferè omnes pestilentias ex præcedenti fame originem habuisse, adeo vt bellum, famemq; inter certa futurę pestis signa meritò enumeranda iudicemus. Initium huiusmodi duxit Pestis illa, quam describit *Herodotus lib. 8. sua historia* vbi narrat milites Xersi Persarum Regis fame adeo afflictos, vt radicibus, & frondibus herbarũ vescerentur. Deinde subsecutam pestem. Eodem morbo laborarunt milites Alexandri Magni ab India reuertentes, quòd solis radicibus palmarum famem discutere cogerentur, teste *Quinto Curtio lib. 9. de rebus eiusdem gestes.* Ex fame orta fuit pestis illa sub Massimino Tyranno, in qua mulieres nobiles per vias, & plateas mendicare cogebantur, diuenditis pro minima cibi quantitate bonis omnibus, quam calamitatẽ nos latius ex Eusebio supra pag. 272. descripsissimus. Mitto plura alia innumera exempla, quæ ex Liuio, Sigonio, & alijs peti possent, domestica non silebo, in hac ipsa Florentisissima Prouincia nonne de anno 1239 & 1246. bis ex sæuissima fame ortam acerbissam pestem supra par. 10. cap. 1. demostratum a nobis fuit? Quid plura persequar? Hunc ipsum teterrimum morbum, qui Mediolanensem Prouinciam primùm inuasit, deinde capta Vrbe peruagata est totam ferè Italiam, non ab alia radice, nisi ex maxima ciborum indigẽtia, qua rustici & Montani præsertim laborarunt, ortum habuisse compertissimũ est. Siquidem cum illi deprauato pane, oriza corrupta & agrestibus herbis famem propellerent, ex vitio ciborum in humano corpore praui & malignantes humores procreati sunt, ex quibus genitum est interius venenum, & Pestilens morbus. Proinde nullum aptius pro auertenda peste remedium esse potest, quã copia frumenti, vini & aliorum: Quo vsus Vrbanus Octaus Pontifex Maximus ab omnibus ferè sui Imperij finibus tetrum hoc monstrum profligauit. Quinimmò non solum pro seruando populo, sed etiam pro liberando ab hac calamitate, maximam vim habere vini & tritici opulentiam ex facto Cæsaris, quòd narrat Plutarchus in eius vita, apertè deducitur. Cum enim exercitus eiusdem radicibus vesceretur, ac propter victus rationem lue sęuissima, ex qua multi peribant, conflictaretur, Gomphos, Thesaliæ Vrbem, omni impetu, & conatu agressus est, qua capta, milites vini, & omniũ cibariorum copia recreati, & ebrij facti morbũ

omnem

omnem procul abegerunt. Hoc idem in præterita clade Vrbs Florentia expertæ est, quæ dum in quadragenario iustitio, populo victũ largè suppeditauit, atq; lapso etiam hoc tempore, cœptum pium opus erga miserabiliores personas protraxit omnia contagionis seminaria vnico ferè momento temporis a ciuibus omnibus propulsata cognouit.

Remedium XIII.

Antiherbæ quinta substantia.



INter plurima remedia, quæ in Etruria hoc tempore ad pestem arcendam adhibita fuerunt, nullum Antiherba salutarius inuẽtum est. Oritur hęc apud Indos, & inde ad nos trasuecta ad venena pellenda, vel ad febres pestilentes, ac malignantis naturæ curandas efficacissimam habet facultatem. Recens est apud nos hæc Antidotus, paucis ab hinc annis cognita, veteribus inuisa scriptoribus. Prior, qui de illa aliquid nobis scriptis tradiderit fuit Nicolaus Monardes Medicus Hispalensis, qui ex testimonio viri Nobilis Petri Ozmali, cuius Epistolam recenset, hæc de mirabili huius herbæ virtute libro primo in calce eiusdem de Indicis Occidentalibus remedijs Medicinalibus tradit. Morantur in quadam regione, quæ inter Careas & Chile manet, viri quidam agrestes, pilosi, ferino more antra, montes, syluas incolentes, Caribbides vocati, iaculatores egregij, qui humanis carnibus vt plurimum vescuntur. Quare cum humana corpora venari volunt, propria iacula quodam herbę adeo venenosæ succo intingunt, vt eisdem vulnerati quasi diuino fulmine concidant. Verum prouida natura, in eodem loco, in quo herba huiusmodi omni veneno peior exoritur, aliam etiam veluti optimum eius Antidotum germinare facit. Idem nos in nostro Climate experimur. Nam vbi venenosæ herbæ nascuntur, ibi vel propè eundem locum alię semper reperiuntur eisdem oppositæ, quæ salutem eidem morbo afferre solent. Miles igitur quidam prior hanc Antiherbam inuenit, qua illius regionis incolæ vtuntur, quoties per illas oras transeuntes cum Carribidis iaculatoribus confligari coguntur. Hac inuenta hilares certiq; victoriæ assequendæ libentissimis animis cum illis congrediuntur.

Porro herba ista folia habet lata ferè similia Hispanæ Pantagini: est admodũ calida, cum sit aromatica, & acuti odoris, vrinam prouocat, & sudorem excitat, aduersus quęlibet venena præter corrosiua mirificam habet facultatem, necnon post debitas & vniuersales euacuationes aduersus pestilentes febres plurimum valet. Ideo in puluerem redacta simul cum aqua aliqua cordiali, veluti cũ aqua cedrina, florum Araneij, vel alia vt vulgo dicitur scorzonera, ter aut quater ęgro potanda conceditur. Verum nostra tempestate ars illa quam maximè comendatur, qua prædicta Anti herba distillatione ad quintam substantiam reduci solet. Nam hac ratione tum eius virtus efficacior redditur, tum cum minori nausea & stomacho recipitur. Et sanè in præterita pestilentia, mirabiles visi sunt illius effectus. Latens venenum per sudorem & vrinam educebat, naturamq; his medijs valdè exonerabat.

PRO-

Remedium XIIII.

De quodam puluere & vnguento, quo venefici se ipsos a Peste seruantes Mediolanensem Vrbem depopulati sunt.

Referam hic etiam ad posteritatis exemplum puluerem, & vnguentum quoddam, quo Venefici illi, qui Mediolanum pestilentibus artibus deuastarunt, ad propriæ vitę incolumitatem vtebantur. Isti ergo antequam debita scelerum darent supplicia, remedium istud a peste seruans tandem indicarunt, quod præfecti sanitatis Mediolanensis, Bononiensibus præfectis, istiq; pariter Florentinis miserunt.

Ricetta di Poluere & Vnguento.

De' quali si seruiuono quelli, che in Milano andauono attaccando la Peste, per preseruar da essa le lor persone: e quando sono stati giustiziati l'hanno manifestata; e l'Vfizio della Sanità di Milano l'ha mãdata à quel di Bologna, e da Bologna è stata mandata à Firenze.

Poluere.

Recipe Zolfo	onc. *6.*
Arsenico	onc. 1.
Incenso Palestino	onc. *6.*
Garofani	num. *9.*
Noce Moscada, e Macie	num. r.
Foglie di S. Piero	num. 1.
Foglie di Rafano	num. 1.
Coecole di Lauro	num. *9.*
Foglie di Centaurea	num. 1.
Mirra, grani	num. *5.*
Radice di Verbena	num. 1.
Radice di Zenzero	num. 1.
Scorze di Melarance	num. 1.
Foglie di Peonia	num. 1.
Mastice, grani	num. *5.*
Seme di Ruta	num. *30.*

Pestisi il tutto, e ridotto in Poluere grossamente, si metta in vn Sacchetto di Raso rosso, ò Dammasco, ò altro Drappo, che habbia corpo, acciò detta Poluere non esca, e portisi al collo dalla parte del Cuore; e di State si metta sopra il giubbone, e di Verno sopra la camicia, accio il sudore non lo guasti.

Vnguento.

Recipe Cera nuoua, Olio comune, Olio Laurino, Olio di Sasso, Erba d'Aneto, granelli di Lauro num. *6.* con vn poco d'Aceto, facendolo tanto bollire, che si riduca in forma d'Vnguento, col quale si vngono le narici, i polsi delle mani, e le piante de piedi.

LI Signori Taratori del Magistrato dell'Arte de'Medici, e Speziali della Città di Firenze hanno tarato la Poluere, cioè, che si venda soldi otto l'oncia, e l'unguento soldi sei l'oncia, come apparisce nella loro taratura sotto di 11. di Settembre 1630.

PROBLEMA XXXV.

De Cibis vitandis, vel deligendis Pestis tempore.



Vitanda Cepa, Allium, de quo Horatius Poeta *Cicutis alium nocentius* Brasicæ, siue caulæ, Laticinia, Caseus, Legumina omnia præter lentes, vitetur Oriza, far, fructus omnes facilè corruptibiles, Caro suina, agnellina, bouina, Vaccina, Auium aquatilium, vel alia quælibet pinguis & crassia. Animalium verò omnium intestina reprobanda. Pisces cuiusuis generis ob nimiam humiditatem & facilitatem corruptionis. Rapæ, Porri, Raphani, Tubera, Fungi, Somnus meridianus.

Deligenda.



INter fructus Amagdalæ, Nuces, & omnes, qui ligneis vestiuntur corticibus. Caricæ, siue ficus siccæ, vua acris, Mala Medica, Massitica, & Cedrina, quibus nihil vtilius ad pestem auertendam. De quibus Virgilius hæc cecinit.

Medica fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis mali, quo non præstantius vllum
Pocula si quando sæuæ infecere Nouercæ,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Ex his nonnulli Medici puluerem conficiunt, quę dicunt tantæ esse virtutis, vt qui illo vtuntur, a peste illos nunquam læsos viderint.

Inter herbas vtilis est acetosa borago, pampinella, bulgosa, melissa, saluia, ramerinum, basilicus, Endiuia, sed palmam refert Angelica, siue Myrhidis radix, de qua Discorides lib. 4. cap. 11. sic loquitur. *Ferunt nonnulli ea epota per diem cum vino in pestilentibus constitutionibus auxiliari, vt incolumes a peste perseuerent.*

Inter ligumina lentes ab Auerroe & Arabis celebrantur; teste *Mercuriali cap. 22. de pestilentia*, qui tamen hoc reprobat.

Inter carnes saluberrimæ sunt Aues omnes, sed non aquatiles humidæ & difficilis digestionis. Pulli, vitellina caro, geladinæ aceto conditę, quia sunt incisiuæ & exsiccatiuę: sed præ ceteris ad pestem depellendam plurimum iuuat esus columbæ de qua Pierius Valerianus lib. 22. hæc habet. *Morbosa & pestilenti quantalibet tempestate sæuiente, qui non alia, quam columbarum carne vescatur, contagio eiusmodi non contaminari. Quare si pestis vnquam debachari cæpisset, nihil aliud in obsonium regibus comparabatur quam ex columba.*

Vtilia sunt etiam oua tremula & sorbilia aceto condita, sed non frixa, vinum generosum temperatè sumptum mirificè valet ad præseruandum a peste, vti etiam testatum reliquit Plinius lib. 23. cap. 2. Siquidem calorem naturalē confirmat, roborat, auget, vim quandam ex omnium consensu aduersus venena, & pestem habet, adeout theriacæ virtuti equiparetur. Idcirco in febribus pestilentibus parcè concedendum. Calefacit enim frigida, infrigidat calida, humectat sicca, exsiccat humida. Quare *Virgilius* agens de pestilentia brutorum, vino tradit eam curatam fuisse. Sic enim habet *lib. 3. Georg.*

Profuit insertos latices infundere cornu
Lenæos, ea vita salus morientibus vna.

Absti-

Abstinendum tamen a vino dulci tam albo, quam nigro, item ab albo vel nigro acido, vel valdè acri. Vtilius erit vinum si aureo proculo haustum sit, vel in eo aurum sit extinctum, veluti hac ratione a pestilentibus potandum consulit *Marsilius Ficinus in suo Antidoto Epipemico cap. 16.*

Vsus aceti frequens in cibis aptandis facile vsitatum, & optimum est contra peste Antidotũ, tũ quòd incisiuũ, & exiccatiuũ tũ quod veneno valdè aduersetur. Refert enim *Plinius lib. 23. cap. 1.* quendã Aceti vtre gestantẽ, calcato Aspide ab eo dẽ venenato morsu percussũ: quare cũ ille vtrẽ deposuisset, vulnus sensit, sed quoties illum resumeret, toties recreabatur, & roborabatur. Quare cognito remedio, quod secum asportabat, largissimeq; hausto incolumis euasit.

Aromata omnia in modica quantitate hoc tempore proderunt, præter saccharum & dulciaria.

PROBLEMA POSTREMVM.

Quo genere indumenti vtendum Pestis tempore.



Agni refert hoc tẽpore indumenta ab omni inquinamento munda gestare. Quare sudore madentes subuculas permutent, itẽ linteamina frequentius, exterioresq; & interiores vestes, si fieri potest, etiam citra sudorem, singulis quoq; diebus mutandæ, quas quisq; deposuerit aperto cœlo exponat. Vitentur indumenta lanea, linea, gossipina, & pellicea, eò quia ista vapores pestilentes quamfacillime recipiunt, & receptos difficilè remittunt, veluti fusè probauimus *parte decima cap. 7.* in fine. Vtiliora sunt coriacea, holoserica, idest quæ tota serica sunt, nulla alia materia admixta, sed præ ceteris accomodata, quæ confecta vulgo dicuntur ex tela S. Gallo, cera tamen super inducta, in qua tum aqua, tum pestilens vapor difficilè figitur. Quoad formam proderunt breuia, demissa ad genua, & forte tot Medici Venetijs peste extinguebantur, inquit *Mercurialis cap. 23. de pestilentia,* quia pestilentes viserent cum illis latissimis tunicis. Eodem modo permulti viri religiosi præsertim Capuccini Ordinis in hac ditione, Sacramenta ægris dispensantes peste opprimebantur, quòd habitum proprium rudem, & nimis longum dimittere renuebant. Quapropter magna cautio hac in re adhibenda est ab expositis Sacerdotibus, veluti fusius monuimus *parte decima cap. 5. in quadam instructione ad Parochos, & in alia ad regulares cap. 10. nu. 10. 11. & 12.*

Finis totius Operis.

Lectori Beneuolo.

PRomissam sæpe supra Mediolanensẽ praxim, mutato consilio, hic tandem duximus omittendã, tum ob temporis angustias, & typographorum penuriam, tum ne alieno penu omnino ditari videremur. Eam habes Lector partim priori volumine a pag. 1045. ad 1059. in qua agitur de præparatione ad pestem, partim in 2. vol. par. 2. constitutionũ a pag. 224 ad 257. interim nostris perfruere laboribus, ex quibus si quid boni hauseris, diuinæ benignitati tribuendũ, si quid minus rectè pronuntiatũ inueneris, nostræ imbecillitati ignoscendum. Vale.

NOMINA AVCTORVM QVI IN HOC OPERE ALLEGANTVR.

A


Bbas
Achilles de Graffis
Adrianus
Afflictus
Alba
Alciatus
Alterius
Almainus
Alexander Alenfis
Alexander I.V.D.
Albertus Brunus
Aloyfius Riccius
D. Ambrofius
S. Antoninus
Angelus
Antonius Ricciulus
Antonius Gamma
Antonius Gomezius
Antonius Gabriel
Antonius Rubeus
Antonius Facchineus
Antonius Faber
Antonius de Butrio
Antonius Peregrinus
Antonius Soufa
Antonius de Corduba
Antonius Paganus
Andreas Gallus
Andreas de Vega.
Andreas Ifernia
Ariftoteles
Armilla
Azenuus
Afcanius Tamburinus
Afinius
S. Auguftinus
Auguftinus Barbofa
Azila
Azuedo.

B

Bartholamæus a Sancto Faufto
Bartholamæus Gallefius
Bartholamæus Gauantus
Baflus
Bannes
Bartholamæus Caranza
Bertachinus
Beccanus
Belarminus
Bellonus
Bernardus Diaz
Berouus
Belletus
Bellamera
Beltrandus
Blafius Palma
Bottus
Bonacina
Boitius
D. Bonauentura
Borgninus
Boffius
Bonacoffa.
Buridanus
Burfatus
Burgos de Paz.

C

Cabedo
Camillus Borellus
Cagnolus
Cancerius
Carolus de Graffis
Carolus a Bafilica Petri
Caualcanus Feuizanus
Campegius
Carpanus
Capiccius

Caetanus

Ioseph Ludouicus
Iulius Ferretus
Iulius Clarus.

L

LAurentius de Peirinis
Laurentius Syluanus
Leonardus Lessius
Lorca
Ludouicus Molina
Ludouicus de Beia
Ludouicus Gomezius
Ludouicus Lopez
Ludouicus Miranda
Ludouicus a Piguera
Ludouicus Rodulphinus
Lucas de Penna
Lucanus
Lucretius

M

MArcus Antonius Ianuensis
Marius Antoninus
Mantica
Malderus
Marchus
Martha sub nomine Moderni
Mascha rdus
Magdalensis
Mantua
Marsilius
Melchior Gallecus
Melchior Cano
Messicus
Medina
Michael Mercatus
Michael Grassus
Michael Solonius
Mollerus
Morla
Molfessius

N

NAtta
Nauarrus
Neuizanus
Nicephorus Calistus
Nicolaus Garzias
Nicolaus Genoa
Nicolaus Mozza.

O

OCtauianus Vulpellus
Osacchus.
Optatus Milleuitanus.

P

PArladorius
Paponius
Paleottus
Panormitanus
Paludanus
Paulus Parisius
Paulus de Castro
Paulus Laymannius
Paulus Comitolus
Petrus Rebuffus
Petrus de Aragona
Petrus Cenedo
Petrus Sotus
Petrus de Ledesma
Petrus Bellinus
Petrus de Vbaldinis
Petra
Petrus de Ancharano
Petrus Peccius.
Petroycius Nauarrus
Peregrinus
Philippus de Grauia
Posseuinus
Polidorus Ripa
Prosper Farinaccius
Prosper de Augustino
Purpuratus
Putheus

Q

QVaranta

R

RAinutius
Raphael Cumanus
Reginaldus
Rebellius
Richardus
Riminaldus Iunior
Riminaldus Senior
Rolandus a Valle
Rosella
Rodoanus.

INDEX
LOCVPLETISSIMVS
RERVM SINGVLARIVM
QVAE IN HOC TRACTATV
de diuino Bello continentur.

In quo Prior numerus Partem, Secundus Capita, Tertius eiusdem Capitis numerum indicat.

Absolutio vide Verbo Confessio.

Attritio vide contritio.

Attritio

Clerici

Clerici Regulares S. Pauli.

Clerici Regulares infirmis ministrantes.

Clausura Monialium.

Collecta.

Colonus.

Concilium.

Confraternitates Laicorum.

Contritio vide V. attritio.

Con-

Eucharistia.

Euchariſtiæ diſpenſatio.

Excomunicatio.

Exemptio vide V. priuilegium

Extreme vnctionis Sacramentum.

Gratia

Gratia

K 2 Cano-

M

Magistratus Sanitatis.

Præfe-

Martyr, & Martyrium.

Matrimonium.

Mona-

Papa.

Parochus, & Parochia.

Parochiani.

Parochia Regularis.

Pater Filius Auus.

Patria.

Pecca-

R

Regularis Prælatus.

Regularis siue Religiosus.

Sale-

Salarium.

Sterilitas, & Vbertas.

T

Testamentum.

M Valet

Votum

Finis Prioris Indicis rerum vsque ad Problemata.

NOMINA AVCTORVM QVI IN PROBLEMATIBVS ALLEGANTVR.

A

Alexander Maffarias
Alexander Benedictus
Albertus Magnus
Antonius Benedictus
Antonius Portus
Andreas Gallus
Aristoteles
Auicenas
Augustinus Bucius

B

Bartholomęus Gallesius

C

Carolus a Basilica Petri
Cardanus
Christophorus Isabellus

D

Dyonisius Halicarnasęus
Discorides
Diomedes Amicus

E

Evsebius Historicus
Euagrius

F

Fabius Paulinus
Fallopius
Fernelius
Franciscus a Sancto Nazario
Franciscus Thomasius
Franciscus Stabilis
Franciscus Victoria
Franciscus Suarez
Franciscus de Torreblanca

G

Galenus
Gerardus Columba
Gentilis
Gregorius Tholosanus
Guidus Caulacius

H

Herodotus
Herculanus
Hippocrates
Hieronymus Rubeus
Hieronymus Mercurialis
Hieronymus Fracastorius
Homobonus de Bonis

I

Iacobus Stollerius
Iacobus de Grassis
Iacobus Soldus
Ioannes Grillotius

Iulius

Iulius Palmerius
Iulius Scaliger

L

Laurentius Ioubertus
Lemmius
Leonardus Lessius
Liuius
Lucretius

M

Marcus Varro
Martianus Capella
Matthiolus
Mattheus Villanus
Marsilius Ficinus
Martinus Delrius
Martinus Bonacina
Michael Mercatus
Michael Medina

N

Natalis de Comitibus
Nissenus
Nicephorus Calistus
Nicolaus Massa
Nicolaus Monardes

O

Ouidius

P

Petrus Gregorius Tholosanus
Petrus Parisius

Pierius Valerianus
Picus Mirandulanus
Philippus Ingrassias
Philostratus
Plutarcus
Plinius
Procopius
Prosper Burgarius

Q

Quintus Sirenus
Quintus Curtius

S

Sabellius
Seneca
Sigonius
Stephanus Rodriquez a Castro
Susius

T

Theophrastus
Thucydides
Thomas Aquinas
Thomas Caietanus
Thomas Sanchez
Thomas Iordanus

V

Virgilius
Valeriola.

INDEX

INDEX RERVM QVAE IN PROBLEMATIBVS CONTINENTVR.

Oculo-

2 Eius

T

V



Additio-

ADDITIONES



PAR. 1. cap. 2. nu. 13. in fine adde. Duardus in comment. ad bullam in cœna Domini lib. 1. cap. 2. quæst. 2. concl. 4. num. 35. Scipio de Rubeis in Aphorismis Episcopal. V. Pestis num. 1. Barbosa trac. de officio Parochi cap. 17. num. 17.

Par. 1. cap. 2. num. 19. in fine adde. idem docet Emanuel Rodriquez in sum. par. 2. cap. 37. nu. 3. edit. vlt. Gauātus noster in suo Manual. Prælat. in V. Pestis num. 2.

Par. 1. cap. 6. nu. 2. post Modernum ibi vsq; ad finem adde Augus. Barbosa tract. de officio Parochi cap. 17. num. 16.

Par. 1. cap. 6. num. 9. ibi de Ecclesijs ædificandis adde. quinimmo Episcopi sumptibus vllis parcere non debent, vt ministros conducant, qui Sacramenta infectis ministrent, licibitq; eis in tam pium opus vendere calices, & bona ecceleſię, si alia via nequeut prouidere. Sic Bannes. 22. q. 33. ar. 3. dub. 4. Gauantus in V. Pestis n. 4. & 5. in suo Manual. Prælat. Emanuel Sā V. Episcopus n. 42. Augus. Barbosa tract. de officio Parochi cap. 17. nu. 19.

Par. 3. cap. 5. nu. 1. post illud verbum relatus adde Naldus in V. Sacramentum num. 7. in fine Gauantus noster in suo Manual. Prælatorum in V. Pestis nu. 8 Ioannes de Chapeauille de modo ministrādi Sacramenta tempore pestis cap. 5. q. 39. Augustinus Barbosa tract. de Parochi officio cap. 22. num. 16.

Ibidem num. 5. in fine adde: & ideo hanc sententiam tenet expresse Venerus in examine Episcoporū lib. 4. cap. 46. nu. 47. vbi docet, cum cochleari argenteo oblongo tempore pestis licere Parocho Eucharistiam ministrare pestilentibus.

Ibidem num. 6. post Bonacinam num. 10. adde Barbos. de officio, & potestate Parochi cap. 20. nu. 47. Gauantus in suo Manual. Prælat. in V. Pestis nu. 6. Suarez tom. 4. de Pœnit. disp. 44. sec. 3. num. 17.

Par. 6. cap. 2. num. 2. in fine adde: & ideo hanc partem secutus est Venerus in suo examine Episcop. in V. Pestis, & dicit sic practicatū fuisse in Vrbe Panormitana anno 1625. cui consentit noster Gauantus in Manual. Prælat. V. Pestis num. 9.



Errata

Errata sic	corrigenda
In titulo totius operis addictæ	adiectæ
In apparatu sub tit pestis cur bellum	
col. 1. versu 48. cædes	cædem
Sub tit ob quos fines versu 10 adup	apud
& infra versu 36. boni aliquot	aliquid
Sub tit. Pestis calamitates col. 2. versu	
30, dispensat	dispensant
Sub ti.eodē col eadē ver. 43. precipites	præcipites
Remedium 2. Abrahę	Abrahæ
Pag. sequenti constitue	constitue
Remedium 3 col 1. quædam	quadam
Parte 1. pag. 3. col. 1. denastanas	deuastans
Pag. 3. sub nu. 5. contra nonnullus	nonnullos
Pag. 5 col. 1. vers. 10. Iacobus Solidus	Soldus
Pag. 5. col 2. vers. 14 Humidū etiam	enim
Pag. 7. nu. 6. Quod sensi	sensit
Pag. 8. nu. 12. firmant	firmat
Pag. 10. nu. 19 charitates	charitatis
Pag. 10 num. 1 Cherusici	Chirurgi
Pag. 14 in summ nu 8. fructum	fructuum
Pag. 15. sub nu. 7 venirer	venirent
Pag. 16. nu. 33. dele	num. 23.
Pag. 16. nu. 23. sic Abbas ex d. cap.	sic Abbas d. cap.
Pag. 17. dele totum titulum superiorē	& appone istū
Caput 4. de Pœnis Parochi regularis	non residentis
Pag. 18. nu 8. sfertius oddus,	sfortius
Pag. 23. nu. 14. At.	Ac
Pag. 23. nu. 14. cūfirmauit	confirmauit
Pag. 25. in summar. n. 7. comunem	commune
Pag. 25. nu. 7. poster	potest
Pag. 26. nu 4. sciret	scirent
Pag. 28. sub nu. 3. externuisse	exterruisse
Pag. 29. sub nu 6. Euseb lib. 1.	lib. 9.
Pag. 29. suo nu. 7 clautela	cautela
Pag. 30 nu. 1. subuenirendo	ministrando
Pag. 45. sub tit. c 1, de onere. cōfess.	cap. 2.
Pag. 46. nu. 39. pluries	pluries
Pag. 47. sub nu, 17 emoliunt	emolliunt
Pag. 48 sub nu. 5. præerequireretur	prærequireretur
Pag. 33 nu. 12. sufficie	sufficit
Pag. 65 nu. 2. quęstionis	quęstionis
Pag. 71. sub nu 13. fuit directè	indirectè
Pag. 73. nu. 27. Probabiliore	probabilior
Pag. 74. nu 12. temporis	temporibus
Pag. 83. sub tit marcit te ipisum	se ipsum
Pag. 83. nu. 8. proprij	proprijs
Pag. 84. nu. 1. inopitatus	inopinatus
Pag. 84. cap. 10. nu. 4. & cum	delenda sunt
Pag. 33. nu. 7. summat	sumat
Pag. 85. cap. 11. In tit. capitis vallida	valida
Pag. 92. nu. 3 in tit. profertur	præfertur
Pag. eadem d. nu. 3. Valorius	Valerius
Pag. 93. sub. num. 13. ac	At
Pag. 102 cap. 2. sub tit. Mastrui	Magistratui
Pag. eadem sub nu. 1 Monacos	Monachos
Pag. 103. sub. nu 10. to hoc	in hoc
Pag. 104. sub nu. 21 Appostolicus	Apostolicus
Pag. 106. sub. nu 10. immunit	immunitate
Pag. 109. sub nu 17. rasseruatam	reseruatam
Pag. 110. sub n 31. in fine Apostolicā	Apostolicum
Pag 111. sub n 35. ne Ecclesiasticas	Ecclesiasticis
ibidem Ecclesiastica	Ecclesiastica
Pag. 113. in Summario n. 3. correcta	correctus
ibidem num. 6. debeant	debent
eadem num. 18. pro han	pro hac
Pag. 115 sub n 6. cū ea eadē iniustitia	iustitia
Pag. eadem & d nu. Cormianus	Coriolanus
Pag. 120. ante finem vibis	vrbea
Pag. 121. col 1 vers. 10. in tit dilectam	dilectum
Pag. 121. col. vers 2. Ecclesia	Ecclesias
ibidem vers 11 et	&
ibidem vers 42. Magistrijs	Magistris
ibidem col. 2. vers. 19. exprensas	expensas

Errata sic	corrigenda
Pag. eadem vers 22. pręmittur	pręmittitur
Pag. 123. col. 1. vers. 26. reribus	reteibus
Pag. eadem col. 2. vers 12. reuelārur	releuantur
Pag. eadem col. 2. vers 49. pręditis	prædictum
Pag. 124 col. 1. vers 24 prædictis Ecclesiasticarum dictarum Ecclesiarum	
Pag. 126. n. 8. circa finem deserre	deferre
127. col. 1 sub nu 15 Aegypios	Aegyptios
Pag. eadem nu. eodem Ethiopis	Ethiopes
Pag. 131 in Summario n. 15. hibent	debent
Pag. 132 sub n. 7. bis repetitur vel per	delenda
Pag. 134. cap. 3. nu 1 exemptione	iurisdictione
Pag. 140. in Sūmario n 9 deficit verbum hoc locum	
Pag. 150. nu. 4 ingrediendi	egrediendi
Pag. 153. nu 32 sequuntur	sequitur
Pag. 153 sub titulo ipsoiū personarū	ipsarum
Pag. 158. versu 1. comercio	commercio
Pag. 159. sub nu 1. mobilia qua	quæ
Pag. 161. nu. 6. item 8. & 9. bollettinū	bulletinum
Pag. 161. nu 10. bolletinum	bulletinum
Pag 163. num 2. remotum domum	remotam
Pag. 164. in Sūmario n. 1. Pœnitentij	Pœnitentijs
Pag. eadē n. 10 in summar. preparatā	præparatam
Pag. 173. sub n. 4. tulit &	dele et
ibidem menti lux	mentia
Pag. 175. sub cap 1. insitiura	institura
Pag. 176. col. 1. vers. 6. ex qui	ex quo
Pag. 178. nu 7. conditio	condito
Pag. 180 nu. 17. Bollamera	Bellamera
Pag. 183 nu 13 ginerent	gignerent
Pag. 186. n. 6. l. alle toto ponendum post de heredis instit.	
Pag. 192. nu, 26. egritudine	ægritudine
Pag. 192. in addit. duo testes	duna
ibidem precedentē	præcedenti
Pag. 194. nu 1. pecularis	peculiaris
Pag. 198. n. 3. in Summario substat	subsistat
Pag. 201. n. 21. Sanam mente	mentem
Pag. 224. n 31. sexia	seato
Pag. eadem n. 31. iuxta rei ratio	illa rei ratio
Pag. 228. sub n. 6. vedendi	vendendi
Pag 230 sub n. 13. Datorum	Datiorum
Pag. 231. Sub n. 26. in fine cōmunitas	communitatis
Pag. 231. Sub n. 28. Ad	An
nu. eadem circa medium de facole	de facili
Pag. 231. sub n 28. in fine incertus	incertos
Pag. 242. ver antepenultimo contractos	contractus
Pag 245. num. 6. caput 9.	dic caput 10.
Pag 250. sub n 10. āte finē Nosocomijs	Nosochomijs
Pag. 250. cap. 7. nu. 1. contractorum	contractorum
ibidē versu 3. dignoscedatur	dignoscebatur
Pag. 253. num. 7. Stramenta	stramenta
Pag. 259. num. 13. viceſſim	vicissim
Pag. 260. in tabula miuistrorum	ministrorum
Pag. 262. caput Tertiudecimum	Tertiūdecimū
Pag. 263. vers quod si functionibis	functionibus
Pag. 272. in fine vestibus	vestium
Pag. 277. vers 25. via	vitam
Pag. 288. vers 2 exoptant	exoptaret
Pag eadem ante finem mihi hoc	mihi hic
Pag. 294. col. 2. vers 41. ab eandem	ob eandem
Pag. 38. col. 2. ante finem præpositū	propositum
Pag. 305 intelligitur	intelliguntur
Pag. 3 problem vers. 10. cognitionē	cognationem
Pag. 4. vers 1. prodiere	(adde) in lucē
Pag. 14. probl. 3 in tit. præcedenti morbis præcedentis morbi	
Pag. 15. Problem. 6. præternaturalis	pręternaturalis
Pag. 48. in fine longinquiua	longinquus
Pag. 49. vers. 7 attenuar	attenuarē
Pag. 56. vers 1. expertæ	experta
Pag. 59. vers. 2. proculo	poculo



